by

Digitized by Google

RECTA
VIVENDI NORMA

Ex verbis pręcipuè & parabolis
Sancti Evangelii educta,
ad ſalutem
Omni fideliter excipienti.

OPUSCULUM

Presbyteri è cujus Nominis
eductis apicibus, in ultima
pagina poſitis, mens
juvandi proximos
conjicitur.



ROMÆ, M DC XCIV.
Typis Jo: Jacobi Komarek Bohemi
apud S. Angelum Cuſtodem.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D.

JO: FRIDERICO DE WALDSTEIN.

Archi-Epiſcopo Pragenſi, S.R.I. Principi Domino ſuo Clementiſſimo.

REgulam hanc Rectè ducendi vitam, utcumque conflata il-

Digitized by Google

la ſit, attamen uti majori ex parte depromptam ex verbis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cunctis propterea, ſi poſſibile foret, communicandam, nulli magis, quam ſplendidiſſimo Nomini Tuo inſcribendam duxi. Tibi ſiquidem, cui ferè totius Regni Animarum cura non incongruè demandata eſt, cujus vigilantiſſima cuſtodia Grex tam copioſus in viam ſalutis

Digitized by Google

lutis dirigitur: de cujus ſcientiarum multiplicitate, Vitæ integerrimæ exemplo, & zelo Chriſtianæ diſciplinæ, licet Teſtis oculatus non ſim, ex auditu tamen ab omni Perſonarum genere, & quod magis eſt, ab ore Sanctiſs. fœliciter Regnantis Pontificis INNOCENTII XII. commendatis, teſtari pleniſſimè poſſem. Tibi inquam, qui ut Caput & Magiſter Religioſo-

rum Cruciferorũ cum ſtella rubea, Crucis ſalutiferum ſignum agnoſcendum, & adorandum ab univerſo Mundo, ſi datum eſſet, toto corde ſitis: Tibi deniquè in numero illorum Præſulum merito adſcribendo, qui ex ſententia Sancti Cypriani diebus ſuis erant in Fide integri, in preſſura probati. Itaque Amplitudinem Tuam devotè obteſtor, ne dedignetur exiguum

hunc

hunc meum laborem ſub fœliciſſimis Tuæ protectionis auſpiciis in lucem prodire; præcipuè dum, ſpatio viginti annorum, quo in Romana Curia mihi conceſſum eſt, Tuis Eccleſiaſticis negociis aſſiſtere, acceptas gratias alias rependere nequeo, hoc ſaltem grati animi mei monumento efficere contendo. Perge interim fœliciter quantum probitate, & zelo probitatis eluces,

ut & me tuo lumine ducas.

D.V. Ill. & Rev.

Humillim. & Obſequentiſs. fam.

Joſeph Caſavecchia.

Digitized by Google

PROEMIUM.

O Homo, qui à Deo creatus portas imaginem ejus, audi libenter verba Dei. Olim Deus locutus eſt Patribus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in Filio, de quo teſtatus eſt:

Digitized by Google

Hic eſt filius meus dilectus; in quo mihi benè complacui, ipſum audite: Verba ipſius Spiritus, & vita ſunt. Nihil ipſe ſubtraxit utilium quo minus annunciaret nobis, immo palam profeſſus eſt: *omnia quæcumque didici à Patre meo nota feci vobis*: Tolle igitur, lege Evangelium ejus, & in ipſo ſpiritum, & vitam invenies, Spiritum quidem illius, qui à Deo procedit, & ad Deum perducit, vitam, quæ verè vita eſt, atque æterna præſtat. Audi ſermonem illius, ne auditurus ſis vocem ejuſdem exprobrantis:

Qui

Qui ex Deo eſt verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non eſtis: Et in fine adjiciet: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo; quia*, ut ſequitur: *qui ſpernit me, & non recipit verba mea, habet qui judicat eum, ſermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die:* Audi ipſum loquentem in parabolis, ut verba quæ loquitur in corde radices figant, & altè retineantur. Audientibus auribus cordis parabolas ſuas ſolvendas re-

liquit

liquit, illam per ſe ipſum ſolvit, quæ eſt de verbo, quod locutus eſt, ut diſcas in verbo ejus Spiritum, & Vitam eſſe: *Semen inquit, eſt Verbum Dei, qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt, deindè venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant, nam qui ſupra petram, qui cum audierint continuo cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audiunt, & à ſollicitudinibus, & divi-*

divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum: quod autem in terram bonam, hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia: Sis igitur Terra bona, & patienter ſuſcipe verbum, & ad ſenſum parabolarum eruendum ſollicitè incumbe, ut numereris cum illis, quibus fuit dictum: *Veſtri autem beati oculi, quia vident; & aures veſtræ, quia audiunt:* Sic intelliges, quomodo benè incipiendum, melius proſequendum, & uſque in

finem

finem perſeverandum, ut ita faciens ſalutem conſequaris.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. DE Parentum obligatione in procreandis & educandis filiis. pag. 1.

CAPUT II. De recta intentione hominis cum pervenit ad uſum rationis. 11.

CAPUT III. Qailibet debet eligere ſtatum quo Deo inſerviat Proximum juvet. 21.

CAPUT IV. Quomodo tentatio-

Digitized by Google

tationibus reſiſtendum ne quis incautè decipiatur. 31.

CAPUT V. *De ſecunda non minus frequenti tenatione cavenda.* 41.

CAPUT VI. *Sequitur tertia tentatio eo pernicioſior quo amplior.* 51.

CAPUT VII. *Salus Animæ, quibus præcipuè innitatur.* 61.

CAPUT VIII. *Abſtinendum primo ab ambitione præeminentiæ.* 71.

CAPUT IX. *Abſtinendum ſecundo à divitiarum cupidine.* 81.

CAPUT X. *Abſtinendum tertio à carnis illecebris.*

Digitized by Google

bris. 91.
CAPUT XI. *Abſtinendum quarto à calore iracundię.* 101.
CAPUT XII. *Abſtinendum quinto ab immoderatione cibi, & potus.* 112.
CAPUT XIII. *Abſtinendum ſexto ab Invidiæ pravis criminibus.* 122.
CAPUT XIV. *Abſtinendum ſeptimo ab Accidiæ noxia progenie.* 131.
CAPUT XV. *Regenda lingua ne pravè, ſed rectè loquatur.* 141.
CAPUT XVI. *Non temerè de Proximo judicandum.* 151.
CAPUT XVII. *Chriſti ſequa-*

quaces Crucem cum gaudio tenentur amplecti. 160.

CAPUT XVIII. *Toleranda primo patienter deficientia, vel jactura temporalium bonorum.* 170.

CAPUT XIX. *Tolerandæ ſecundo Propinquorum mortes, atque Amicorum amiſſio.* 180.

CAPUT XX. *Tolerandæ tertio injuriæ, contumeliæ, calumniæ.* 189.

CAPUT XXI. *Tolerandi quarto Corporis dolores, & ægritudines.* 198.

CAPUT XXII. *Tolerandi quinto cruciatus, & ipſa mors pro Chriſto, & Juſtitia.*

ſtitia. 207.
CAPUT XXIII. *In bonis actibus operosè vivendum.* 216.
CAPUT XXIV. *Orationi ſedulò vacandum.* 226.
CAPUT XXV. *Docendum illos, qui ignorant, dubitant, aut errant.* 236.
CAPUT XXVI. *Conſolandum triſtem, remittendum offendenti, oneroſos ſupportandos.* 246.
CAPUT XXVII. *Orandum pro Vivis, & Animabus Purgatorii.* 255.
CAPUT XXVIII. *Succurrendum quibuſcumque neceſſitatibus temporalibus Proximi.* 265.
CA-

CAPUT XXIX. *Peccator peccare deſinat, reſiduum Vitę ad normam inſtituat virtutis.* 275.

CAPUT XXX. *Quiſque frequenter Pœnitentiæ, non raro SS. Euchariſtiœ Sacramentis animam recreet.* 284.

DE

DE mandato Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſtol. attentè percurri librum inſcriptum: *Recta vivendi Norma, ex verbis præcipuè, & parabolis Sancti Evangelii educta ad ſalutem omni fideliter excipienti. Opuſculum*, &c. in eoque non inveni, niſi doctrinam ſanam, ſalutaribus monitis refertam, conducentibus ad vitam rectè inſtituendam, juxta ſolidas Chriſtianæ diſciplinæ regulas.

Fr. Jacobus Riccius Proc. Gen. Ord. Prædic.

I M-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Parentum obligatione in procreandis, & educandis filiis.

AD vos Parentes ſit in primis ſermo; filii à vobis ad lucem edituri fructus veſtri erunt, curate igitur ſicuti bonæ arbores bonos fructus facere, & terreat vox clamantis in deſerto: *Omnis arbor non faciens fructum bonũ excidetur, & in ignem mittetur*: Parentes, à quibus talis mirabilis vox prodiit: *erant ambo juſti ante*

Digitized by Google

Deum, incedentes in omnibus juſtificationibus Domini ſine querela: quid mirum, ſi inter natos mulierum non ſurrexit major? Si cupitis filios procreare ſanctos, & vos ſancti ſitis: à flumine limpidis aquis referto, non poterunt rivuli turbidi manare. Si ab originali labe non purificati naſcuntur, benedictus Deus, qui prius dilexit nos, & ſalutare in ſanguine dilecti filii ſui paravit balneum, quo macula abſtergitur, & gratia confertur, ut fonte Baptiſmatis renati, deſinant eſſe filii iræ, fiantque per regenerationem filii lucis.

Sit igitur præcipua cura veſtra, ut tam ſalutare balneum non relinquatur, non differatur, in dilatione poſſunt filii perire, non ſine gravì culpa Parentum: Et ſi regeneranti per Baptiſmum magis congruit Parentis nomen, quam ipſimet naturali genitori (ut quædam puella nomine Florentia in Seleuciæ finibus prius Gentilis, poſtea à S. Hilario baptizata, dicto ſuo, & facto oſtendit, nam relictis Parentibus, ſecuta eſt Sanctum Præſulem in Galliam, dicens Parentem non qui genuit, ſed à quo regenerata fuit) omnino nomen

Parentis amittere debent, qui filios ſine Baptiſmo perire ſinerent, vocarique potius animarum homicidæ. Hoc Infideles pariter intelligant, ſibi non ſufficere prætenſa recta vivendi diſciplina: dicit S. Auguſtinus: *Si per oſtium non intrant quid prodeſt eis, unde gloriantur? Ego ſum oſtium* dicit Dominus, *per me ſi quis introierit ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & Paſcua inveniet*: Non ergo quærant aliundè ingreſſum ad vitam, qui aliunde ingredi poſſe ſuadet, ille fur eſt, & latro, de quo ſequitur: *fur non venit, niſi*

niſi ut furetur, & mactet, & perdat; Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Voſque Parentes ſatagite, ſervare filios veſtros in gratia, quæ data eſt eis, & cavete, ut dicit Dominus: *ne contemnatis unum ex his puſillis, quia Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt*: Primos igitur filiorum greſſus dirigite in viã ſalutis rectam, ut non flectant ad dexteram, neque ad ſiniſtram: Videte arbuſculam noviter è ſinu terræ erumpentem qua parte cœperit inclinare, illuc creſcen-

ſcendo flectet, & in fine ruet. Plures Energumenos liberavit Dominus,& ipſius Apoſtoli, unum hi liberare non potuerunt, & ſi ad vocem Domini malignus ſpiritus parere non renuit, tamen: *multum diſcerpens eum exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, itaut multi dicerent quia mortuus eſt*: tantę contumacię cauſa vultis ſcire undè proceſſerit? ipſe Dominus ſua interrogatione Patri ipſius facta detexit: *quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? at ille ait ab infantia*:diſcite ergo, vitia ab infantia contracta vix,aut nũquã eradicari.

Ni-

Nimia Parentum benignitas, & indulgentia præbet ut plurimum filiis audaciam à ſemita recta declinandi, ſicque legitur: *Heli qui falſa pietate ſuperatus, delinquentes filios ferire noluit, una cum filiis morte non placida periit, unde ei Divina voce dicitur, honoraſti filios tuos magis quam me. Hinc etiam David erga filios benignitatem, non diſciplinæ ſeveritatem exercens, eorum juventutem experimento didicit pernicioſam, quorum pueritiam vaga licentia permiſit eſſe voluptuoſam*: Potius naturalis amor exerceatur curando,

ut in virtutibus de die in diem proficiant ſubjectione timoris, & ſi opus ſit, etiam coerctione diſciplinæ, nam ut dicit Sanctus Ambroſius: *quando caſtigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur, habet enim & Amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt cum amariſſimè inferuntur, dulcior enim eſt religioſa caſtigatio, quam blanda remiſſio.*

In ipſa infantia docete filios veſtros, prius quam domos, inviſere Templum, ut in ſimplicitate cordis laudes dicant Deo, & filio ejus Jeſu Chriſto, qui Principibus ſacerdotum & Scribis

bis indignantibus ob voces eornm dixit: *Utique nunquam legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*: Immo cum diſcipuli ejus increparent offerentes illi infantes: *indignè tulit, & ait illis, ſinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos talium enim eſt Regnum Dei*: Cum lacte tandem imbuite bonos mores, imbuite doctrinam fidei, docete præcepta Dei, amorem proximi, reverentiam erga vos, ut in bonis actibus ſemper ſint vobis ſubditi, ſicut Dominus Jeſus per ſuam pietatem dignatus eſt ſubditus

eſſe illis; ſicque illi cum illo proficiant continuo ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De recta intentione hominis cum pervenit ad uſum rationis.

RERUM viſibilium aſpectu ne ſinas corporeis oculis totum te rapi, potius mentis conſideratione duci, & firmiter credere, Mundum hunc non eſſe patriam noſtram, ſed potius hìc tanquam Peregrinos degere, Parentes non niſi habere carnales, ſed Deum primum eſſe Parentem, cavere Dominum non agnoſcere

Digitized by Google

niſi Regem, dicendo cum impiis: *Regem non habemus niſi Cæſarem*: Patria noſtra Paradiſus eſt, primus Pater & Dominus eſt omnipotens Deus; dirige ergo greſſus ad Patriam, & in Mundo ſis ut in tranſitu. Deum verum Patrem honora, & ſuper omuia dilige, dicit enim: *qui amat Patrem ſuum aut Matrem pluſquam me non eſt me dignus*: Time etiam Deum ſuper omnia, & ab illius ſancto timore diſces melius diligere, dicit enim Sanctus Auguſtinus: *ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta primum*

intrat, ſed niſi exeat non ſuccedit linum; ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem: Cave igitur, ne Mundus rapiat mentem, & cor tuum, ſolum nomine, non autem operibus te fidelem demonſtrans, nam Omnipotens de Cœlo clamabit: *Si ego Pater ſum, ubi eſt honor meus, ſi ego Dominus, ubi eſt timor meus.*

Mente revolve pactum quod ſpopondiſti, conditionem quà acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti; dum mundo renunciaſti, & pompis

pis ejus, promiſiſti, te non ſecuturum ſeculi, & carnis illecebras; acceſſiſti cum conditione ſumendi propriam Crucem, & ſequendi Jeſum Chriſtum quocumque voluerit; numeratus es inter milites cruciferos, qui tali ſigno carnem, mundum, dæmones vincere, ac debellare debent: Exere ergo vires, fortiter dimica, ut legitimè pugnans & vincens, cum Sanctis Victoribus coroneris, nam dicit Dominus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & rurſus: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: Donec vero in mundo mo-

moraris, monet te Dominus, ut ſis prudens ut ſerpens, ſimplex ut columba, cautè ſcilicet ambulando, ne malorum dolis ſupplanteris, ne aliis dolos machineris. Nemo te decipiat ſuadendo, quod mundo adhærere poſſis, & placere Deo, qui propterea teſtatus eſt: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unũ odio habebit & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet*: Qui enim contemnit Deum, durum profectò Dominum, nempè generis humani hoſtem infenſiſſimum ſuſtinet, qui vero Deum veraciter dili-

Digitized by Google

diligit, odio proſequitur, quem ſui hoſtem agnoſcit, ſemper inſiſtendo, animam ejus à Deo avertere, & tandem perdere.

Ad hæc Redemptor noſter exemplum Ædificii propoſuit dicens: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt ſi habeat ad perficiendum*: Cogites ergo neceſſe eſt, te magnam fabricam cœpiſſe, quę debet pertingere, non ſolum uſque ad ſydera, ut olim fruſtra filii hominum erigere putaverunt contra Deum, ſed uſque ad Deum, & ad conſpectum ipſius:

con-

conſiderando ergo celſitudinem ædificii, de fundamento prius cogita humilitatis, & recorderis verborum Beatæ Virginis Mariæ: *quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: Neceſſe pariter habes, magnam virtutum ſtruem congerere, qua erigi poſſis, & invenire in ingreſſu Cœlorum Januas recluſas, quæ ſolum attolluntur clamantibus ſecundo: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*: alias ſi poſueris fundamentum, & non potueris perficere: *omnes qui vident incipient illudere di-*

dicentes, quia hic homo cœpit ædificare & non potuit conſumare: time verba illa: *omnes: qui vident*: nam in die Judicii adſtabunt Angeli, Homines, Dæmones, & omnis Creatura pugnabit contra Inſenſatos.

Ad faciliorem captum additur: *Quis Rex iturus committere bellum adversùs alium Regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe, alioquin illo adhuc longè agente legationem mittens rogat ea quæ pacis ſunt*: Undè ne putes te leve certamen ſuſcepiſſe. Su-

men-

Digitized by Google

mendum igitur eſt ſcutum Fidei, & arma Juſtitiæ, & totis viribus decertandum, cum ſpe firma victoriæ, ſi charitate perfecta Deum diliges & Proximum, ſin minus pacem & tu ab infenſis hoſtibus quæres, & mortifero vinculo jungeris illis, cum quibus pacem habere nefas eſt, dicente Domino: *Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram, non veni mittere pacem, ſed gladium*: Væ tibi ſi pacem cum inimicis ſimilibus ſemel firmes, non poteris deinde propria virtute illorum vincula frangere, & ſi Dei ſupernaturali gratia dabitur elabi,

elabi, heu quantum carnis concupiſcentia ſumpſit augumentum, quantum memoria preteritorum alliciet ad malum, retrahet à bonis operibus, & ad mentis oculos obiciet quæ ſemel placuerunt vigilando, dormiendo, & quod multum timendum eſt, forſan in ipſa ultima vivendi hora. Hęc veraciter timens, ſtrenuè ſemper pugna, pacem tam perniciosſam devita.



CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Quilibet debet eligere ſtatum quo Deo inſerviat Proximum juvet.

NON fortuitu natus es in mundo, neque ut mundo jũgaris, & illi ſervias. Mundus deficit, tu in æternum ſervaberis, & ſola opera tua ſequentur te, ſi bona ut cum illis in Cœlum, ſi vero mala, ut cum illis in gehennam ducaris. Igitur juxta inſpirationem tuam, & propriæ conditionis diſpoſitionem firma ſtatum bonis operibus

BIBLIOTECA ROMA

bus aptum, ut munus ſuſceptum adimplens, præmium ſperare poſſis, non pœnam timere, Sanctus Gregorius dicit: *Ad hoc diſpenſationis divinæ proviſio gradus diverſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diverſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum*: Et Dominus noſter unumquemque impellendo ſpe retributionis ad miniſterium proprium dixit: *in domo Patris mei manſiones mul-*

Digitized by Google

multæ ſunt, ſi quo minus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum.

Cujuſcumque habitudinis quiſque ſit, habere nihilominus modum operandi & lucrandi idem Dominus docuit per hanc ſimilitudinem: *Homo peregrè proficiſcens vocavit ſervos ſuos & tradidit illis bona ſua unicuique ſecundum propriã virtutem:* Expectat ergo, ut pecuniam ſuam Nummulariis committat, ut veniens recipiat quod ſuum eſt cum uſura. Beatus utique ſervus ille, qui poterit dicere, Domine ecce duplum ſuperlucratus ſum; ſin autem

tem ſodiens in terra, terrenis ſcilicet, & tranſitoriis rebus animæ potentias, & corporis ſenſus inutiliter implicando, pecuniam abſconderit, non ſolum audiet: *Serve male & piger*, ſed: *tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta:* & quod terribilius eſt: *inutilem ſervum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium*: Pro Domino item, & ad ejus gloriam non ſolum homo non deficiat in opere, ſed indeſinenter incumbat ad hoc, ut ſemper eum diabolus inveniat occupatum, juxta conſilium Sancti Hierony-

ronymi: offerat etiam Deo ultra munera debita etiam gratuita, & ſciat, Creaturam tantum debere Creatori, qui ad id oſtendendum: *Cum vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in ea, & cum nihil invenerit præter folia, non enim erat tempus ficorũ, dixit ei, jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet*: poſt hæc enim de infructuoſa ficulnea dictum fuit: *Ecce ficus cui maledixiſti aruit.*

Inſuper miniſterium ſit directum, non tantum in beneficium proprium, quã proximorum, nam exhibi-

tio operis, ut dicitur, eſt ſignum veræ dilectionis, iteratè à Domino fidelibus ſuis impoſitæ in illis verbis: *Mandatam novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*: Multum profecto cuique imponitur, quando in amando, & benefaciendo proximo par debet eſſe Domino, qui adeo dilexit nos, ut tradiderit ſemetipſum pro nobis, & quod in ſe adimplevit, potuit aliis ſuadere dicendo: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: libenter vero quiſque operam ſuam impen-

pendet in auxilio Proximi, ſi illi ſervire ſtuduerit, ac Domino ipſo in carne poſito, memor illius vocis: *Quod uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti, & quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine Diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.*

Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram: Si unicuique imponitur onus operandi, & ſerviendi ſecundum propriam virtutem, tibi, cui multum com-

Digitized by Google

miſſum eſt in aliorum cura, ſupradicta verba directa eſſe cognoſcas, & ſcias, quia beatus ſervus eris, ſi cum venerit Dominus, invenerit ita facientem, ſin minus: *Veniet Dominus in die qua non ſperas, & hora qua neſcis, & dividet te, partemque tuam ponet cum Infidelibus*: Hinc non ſolum ne cupias præeſſe aliis, illoſque regendi & gubernandi honorem quærere, ſed ſi tibi ex alto conceditur, magna formidine, & non inferiori diligentia id præſtare debere, nam: *omni cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendave-*

Digitized by Google

daverunt multum plus petent ab eo.

In opere autem humilia animam tuam, & agnoſce te palmitem illius vitis, à qua bona cuncta procedunt, & dic cum Apoſtolo: *Ego plantavi, Apollo rigavit, incrementum autē dedit Deus:* qui tibi præcepit non diviſum à ſe ſemper manere, ſi fructus reportare deſideras, dicendo: *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere:* ſi nihil potes ſine illo, omnia ergo illi tribue, qui dignatus eſt tibi ſervo talia committere, omnibuſque ſervis ſuis cum ju-

ſtitia reſpondet: *Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus*: Nullus denique doleat, ſi paucis talentis ditatus, magna moliri non poſſit, Dominus accepto fert munera, quæ juxta vires, ſed toto corde offers, ſicut de vidua paupere, quæ miſit ſolum duo minuta in Gazofilacium dixit Diſcipulis ſuis: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quomodo tentationibus reſiſtendum ne quis incautè decipiatur.

IN aciem certaminibus paratam deſcendiſti, & quod magis timendum non in aperta pugna, ſed in occultis inſidiis; veternoſus enim hoſtis ſpem ſuam in fraude repoſitam habet, & in tenebris ambulans, à luce te avertere ſtudet, unde Apoſtolus admonet? *non eſt nobis colluctatio adversùs carnem, & ſanguinem, ſed adversùs Principes & poteſtates,*

ſtates, & rectores Mundi tenebrarum harum: In hac paleſtra ne te poſitum credas, ut devictus aſpicientibus ludibrio ſis; potius ut vincens, hominibus exemplum fortiter dimicandi, Cęleſtibus Poteſtatibus gaudium; hoſtibus confuſionem ingeras: Non enim benigniſſimus Pater permittit nos tentari ſuper id quod poſſumus; immo certantibus dignatur adeſſe, dans illis quantum pro reportanda victoria opus eſſe cognoſcit. Ut iſtud intelligeres, & artem debellandi hoſtem addiſceres, tripliciter Redemptor noſter permiſit ſe à dęmone

Digitized by Google

mone tentari, ut in triplici ſua victoria validioribus tẽtationibus reſiſtere tu quoque noſceres, & de hoſte devicto triumphum reportare.

Prima igitur tentatio magna quidem, & uſu frequentior inimici eſt, hominem inducere in occaſionẽ propinquam, primo aſpectu quaſi licitam, ſed ad illicita trahentem: Ab hac itaque ſumpſit initium humani generis hoſtis, cum enim Dominus: *Jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea exuriit*: quid igitur crederes, tentatorem in opportunitate famis pa-

raſſe ad frangendum jejuniũ incentivum? forſan panes, aut aliud pulmentum gutturi gratum? Non, ſed potius lapides ſuadendo: *dic ut lapides iſti panes fiant.* O fraudulenta ſuaſio! fingit ſe Deum agniturum miraculo converſionis lapidum in panes, ſed re vera, ut poſt converſionem, Dominus videndo panes, in propinqua illa opportunitate ex ſui natura illos appeteret, & appetitus impelleret ad comedendum. Sic quotidiè incautos decipit, à longè proſpicit, ut ad propinqua pericula ducat. Hac arte genus humanum omne à principio

cipio traxit in præceps, de vetito ligno ſermonem habens cum prima noſtra Parente: *quæ videns illud bonum eſſe ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit*: Vides quomodo à viſu non vetito, ad vetitam comeſtionem ducta eſt. Hinc diſce primę ſuggeſtioni reſiſtere, dicendo cum Domino: *Non de ſolo pane vivit homo, ſed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

Verbum Dei dat tibi verè vivere, monendo à ſimili: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pa-*

ce ſunt ea, quæ poſſidet. Vides ergo atrium cuſtodiendum eſſe, ne domus diripiatur, & quidem omni conatu adhibito, nec verbo ſuperfluo permixto, præbens ſic adverſario vires, & arma, dum Dominus te docet: *quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Judicii*: Herodes Rex, ſi atrium ſuum benè cuſtodiſſet, non permiſiſſet Herodiadis filiam introire, & in medio ſaltare, quid inde? placuit Herodi, juravit: *& miſſo ſpeculators, præcepit afferri Caput Joannis in diſco*: Quis unquam tam immane

mane ſcelus à levi ſalto veſtigia non relinquente prædixiſſet? Nonne argenti, & exiguæ promiſſæ pecnniæ ſplendor, à quo & Judas, & milites ſepulchrum cuſtodientes oculos primo avertere neglexerunt, reddidit Diſcipulum proditorem, & cuſtodes mendaces, ita ut primus cauſa mortis filii Dei, ſecundi vero rei abſconditę reſurrectionis ejuſdem habeantur, & in perpetuas æternitates memoria eorum deteſtabilis futura ſit omni Creaturæ?

Nec cunctando tibi met ipſi ſuadere ſtudeas, quando inimicus peccatum ſuggerit in


Digitized by Google

n mente, ſi nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum non dicitur perpetratum, quia ſi ſuggeſtionem ſubito non repelles, caro delectari incipit, & tunc peccatum incipit naſci, facilè deinde ad conſentiendum deſcendit, & tunc peccatum dicitur perfici. Revoca ſæpè in mentem, Carnem concupiſcere adversùs Spiritum, ideo Spiritu Carnem eſſe ſubjiciendam, ne concupiſcẽtia cõcipiat, quia ſicut ſcriptum eſt: *cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum conſumatum fuerit generat mortem*: Nec ſuperfluã putes circũſpe-

Digitized by Google

ſpectionem oculatiſſimi Job dicentis: *pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de Virgine*: potiùs ab illo diſce, peccatorum confinia non attingere, & tentationes à longè repellere, qui enim amat periculum peribit in illo, & *qui ambulat in tenebris neſcit quo vadat*: Audi Sanctum Auguſtinum loquentem ad nimium in ſe confidentes: *nec dicatis vos animos habere pudicos, ſi habetis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius*: Ut vitare poſſis laqueos, & foveas ſequere illum, qui veraciter de ſe dicit:

cit: *Ego ſum lux Mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ:* Et rurſùs: *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.*



CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De ſecunda non minus frequenti tentatione cavenda.

DEVICTUS in prima pugna humani generis hoſtis, non tamen recedendo quievit, ſed auſu temerario: *aſſumpſit Dominū in ſanctam Civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi, & dixit ei, ſi filius Dei es mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim, qui Angelis ſuis mandavit de te, ut conſervent te, & in manibus tollent te, ne fortè*

fortè offendas ad lapidem pedem tuum: quotidiè eadem utitur arte, & præcipitium ſuggerit ſequentibus veſtigia Chriſti. Non eos corpore ducit ſuper pinnaculum Tẽpli, ſed corpori offerens delectabile, ad peccatum invitat, eodemque ſtatim ſpem ſurgendi poſt lapſum oſtendit pęnitentia mediante, ſed heù quot incautos ſpe talis pœnitentiæ dilatæ, ſed non aſſequutæ decepit? Si darentur audiri voces in Inferno degentium, frequenter noſtrum impleret auditum lamentatio multorum, qui vana fiducia ſurgendi ducti in peccato ſuo dormie-

Digitized by Google

mierunt, & mortui ſunt, & in Inferno ſepulti cum Epulone.

Vox Epulonis inſerviet pro reliquis ad te cautum reddendum: *Pater Habraham miſerere mei, & mitte Lazarum*: Dives hic ſemel inductus ad indulgendum ventri: *epulabatur quotidiè ſplendidè*: nunquam recordatus Lazari, nec finis ſui; nunc clamat, ſed clamor nihil juvat: *quia in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt*: Rogat ſaltem pro fratribus, ut teſtetur illis: *ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*; ſed reſpondetur: *ha-*

habent Moyſen & Prophetas, ſi illos non audiũt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent: Tu habes ultra Moyſen & Prophetas Divinum oraculum: *in peccato veſtro moriemini*: longè igitur à peccato, & à laqueis illius, à quibus qui ſemel irretitur, plus quam ferrea catena cõſtringitur, dicente Domino. *omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati*: ſi ſervus ergo ſub dominio crudelis Tyranni, à quo non permittitur libertatem quæri, ſed potius curatur, iniquitates iniquitatibus addi, & ſcelerum pondere tandem ad interitum duci. Peccavit Ju-
das

das in proditione Magiſtri, qui ſua infinita bonitate, à commiſſo delicto retrahere ſtuduit: In Cœnaculo illum monuit: *Unus veſtrum me traditurus eſt, væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur*: in horto amplexus eſt dicendo: *Amice ad quid veniſti?* ut excitaret, increpavit durioribus verbis: *oſculo filium hominis tradis?* ſed omnia fruſtra, induratum cor ejus oblatam ſalutem reſpuit, & tandem laqueo ſe ſuſpendit.

Non inficior, multos poſt lapſum, Divina gratia manum præbente ſurrexiſſe, ſed moneo exẽplo tot aliorum,

rum,qui loco ſurgendi,ſemper de malo in malum ruerunt, & tandem demerſi ſunt in profundum. Inter alia Venerabilis Beda narrat, ſe noviſſe Fratrem in quodam nobili Monaſterio, qui diſſolutè vivens, nunquam Religioſorum monitionibus,dum valuit obtemperavit; in ultima infirmitate pariter ad pœnitentiam provocatus, ſpe deſtitutus clamavit, amplius mihi tempus non eſt vitam mutandi, Judicio meo jam peracto,videoque locum in Inferno mihi paratum juxta Caipham, & alios Domini interſectores. Time potius quod

Digitized by Google

quod dicitur, *Abyſſus Abyſſum invocat*, & ſcias peccatum ad peccatum incendere: cohærent ſimul vitia; itaut vix unum ſine alio reperies. Adulterium provocat ad homicidium, ſicut in Davide Avaritia, ad Deicidium, ſicut in Juda. Ut ergo animæ tuæ ſalutem in tuto reponas, ſequere veſtigia Redemptoris tui, cui famulabantur multi Angeli, & tamen ſub ſpe auxilii illorum, non ſe dedit præcipitem, ſed tentatori reſpondit: *Rurſus ſcriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum*: In tuto procul dubio, ſi procul à peccatis eris,
&

& peccatum non admittes, ſi primæ ſuggeſtioni fortiter te oppones.


At dices ſemel incautus cecidi, ſecutus ſum Davidem errantem, quid igitur? nota eſt reſponſio, ſequere pœnitentem. David ad primam vocem Natan, culpas ſuas agnoſcens, & intimè dolens confeſſus eſt, peccavi, & confeſſioni adjunxit dignos pœnitentiæ fructus, media ſiquidem nocte ſurrexit ad confitendum Domino, lacrymis ſtratum ſuũ rigavit, cinerem tanquam panem manducavit. Si adjicias: multi peccatores inveteraverũt oſſa ſua in peccatis,

Digitized by Google

catis, & tandem ad Deum converſi, miſericordiam cõſecuti ſunt; cogites velim potius, plurimos peccatores periiſſe, nec pœnitentiæ tempus acceptabile cognoviſſe; & primi quidem, ſi attentè conſideras, licet diù ſteterint in peccatis, tamen, ut piè credendum, primæ voci, ſeu primæ internæ inſpirationi obtemperaverũt, & converſi ſunt: ſic de illa, quæ erat in Civitate peccatrix ſcribitur: *ut cognovit*: ſi prius cognoviſſet, prius ad Redemptorem cucurriſſet. Longè ergo à peccato, quod nos diſiungit à Deo, ſi tamen, quod abſit, conver-

Digitized by Google

ſus ad Creaturas Deum reliquiſti, feſtina ad eum pœnitendo revertere; & quoniam ſcriptum eſt: *quærite Deum dum inveniri poteſt, invocate Deum dum propè eſt*: diſce, Deum inveniri poſſe ubi paulò antè reliquiſti, & illum invocare, ſi longè abire non permiſiſti.



CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Sequitur tertia tentatio eò pernicioſior quò amplior.

ITERUM aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia Regna Mundi, & gloriam eorum, & dicit ei, hęc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me: Tertia hæc & ultima tentatio multa dat tibi conſideranda, ad hoc ut veſtigia ſequens Redemptoris tui, poſſis & tu tentatorem cum victoria repellere. Conſidera primo

humani generis hoſtem homini nihil unquam pollice-ri, niſi ſimul adnectat præcipitium, ideo dicit, *ſi cadens adoraveris me*: ſecundo conſidera, quomodo illudat, & apparenter magnificet ea, quæ oſtentat, non enim è vertice montis omnia Regna Mundi naturaliter videri poterant: Tertio conſidera, in quo conſiſtat hæc exaltata gloria Regnorum Mundi, quæ benè perpenſa, prudenter aſſimilatur flammæ ſtupæ, & veraciter nihil aliud eſt, quam, ut dicitur, Imago rerum uſque ad decipiendum decora.

Ab

Digitized by Google

Ab iſta falſa, & inani ſpecie mortales doloſè decepti omne deſiderium ſuum in vanitatibus ſeculi reponũt, & ubi ſint veræ deliciæ non agnoſcunt: undè Dominus noſter, ut errorem tolleret, propoſuit ſimilitudinem dicens: *Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocavit multos, & cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, & alter dixit, juga bovum emi quinque, & eo probare illa; & alius dixit, uxorem duxi, & ideo non poſſum venire*: In primo recognoſce amatorem terrenæ ſubſtan-

tiæ, qui oculos ſuos ad Cœleſtia bona neſcit attollere. In ſecundo oppreſſum à quinque ſuis ſenſibus rationem ſubjugantibus. In tertio devictum à propria carne, ita ut ſpiritus cum illa quaſi marceſcat. Omnes reſpuunt Cœnam, & quidem magnam, in qua parata ſunt omnia, quid de ſimilibus? Audi, & contremiſce: *Dico autem vobis, quod nemo Virorum illorũ, qui vocati ſunt guſtabit Cœnam meam*: Surge igitur de terra, & oculos mentis ad Cœlum erige, ibi Regnantem intuere, & præmia largientem; profecto terrena

na reſpues, ſi Cœleſtia ſapias, donec enim melior, aut pulchrior non apparet, animus quieſcit in re cognita, ſi vero longè meliora proſpiciuntur, vileſcunt ea, quæ prius erant in pretio: undè non defuit, qui talia proſpiciens ad tui utilitatem dixerit: *quam ſordet tellus, dum Cœlum aſpicio*.

Ne autem excuſare te poſſes dicendo, de terra formatus ſum, in terris habito, quid mirum ſi terrena ſapio? docuit te Dominus, etiam in terra poſitum Cœleſtia ſapere poſſe, dum dixit: *ſimile eſt Regnum Cœlorum theſauro abſcondito in*

agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum: Da mihi in terra poſitum, ſed Cœleſtia meditantem, & deſiderantem, ac proindè carnis voluptatibus renunciantem, & ego oſtendam tibi, qui in terris poſitus theſaurum hũc reperiit, & pro illo conſequendo vendidit omnia ſua. Unus ex iſtis fuit Sanctus Spiridion Epiſcopus, cujus oculi capti non fuerunt ab auri ſplendore, ſed ab Imperatore Conſtantio, qui tactu manus illius ſanitatem receperat, coactus aurum re-

recipere, ſtatim totum inter aulicos ejuſdem diſtribuit. Et prius in conſpectu Throni illius, agnoſcens Trifillium ſocium captum à magnificentia, ipſum monuit, etiam Imperatorem moriturum ac alium pauperem, & ſubjunxit, cur quæ fluunt tanquam quæ ſtabilia ſunt honoras, & quæ nihil ſunt habes in admiratione? Etiã non ſancti, ſed viri prudentes agnoverunt, Mundi Principatus pro nihilo habendos; Virgilius Ruſus Imperium ſibi à militibus oblatum, reſpuit, Lotharius Imperator reliquit, factus Monachus Cluniacenſis.

Terreant aures tuas voces Domini minitantis: *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram; Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis, væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*: Divitiarum quippè conſolatio non erit neque hìc ſine mixtura triſtitiæ, & in momento pertranſiet: Saturitas primo faſtidium, & rurſus famem pariet; riſus dolori miſcebitur, & tandem vertetur in luctum. Non enim vera poteſt eſſe felicitas in rebus, quæ deficiendo contriſtant, vel permanendo, tu cogeris illas deſerere. Si ſitis, curre

ad

ad fontem aquæ vivę,qui eſt Dominus Deus tuus, & ab ipſo audies: *Omnis qui bibit ex hac aqua ſitiet iterū, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*: Omnia mundana pertranſeunt, quia & ipſe mundus nobis deficit; quærendum igitur bonum, quod permanet, & ad illud aſſequendum cætera omnia tradenda, pro nihilo reputantes oblationem, *hæc omnia tibi dabo*: quæ ad nihilum rediguntur, & deſpicienda ſunt, ne animæ quid mini-

mum fraudetur, dicente Domino: *quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Mũdus ergo totus nihil eſt comparatione minimæ fœlicitatis æternæ.



CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Salus Animæ quibus præcipuè innitatur.

VAlidioribus tentationibus reſiſtendi modum ſi didiciſti, etiam inferiores facilè repelles; ſed numquid aliud reſtat, ut animam tuam ſalvam facias? Plurima quidem ſunt, ſed tria tantum conſideranda, & perficienda proponuntur, quę ſi rectè ſervaveris, timorē pellere, & ſpē magnam ſalutis mente concipere non erit abs re. Hæc tria tribus tantum verbis coar-

coarctata offeruntur , ſed valdè in executione dilatā-tur , dilatentur tamen ſpatia charitatis , & breviora , & faciliora reperies : In abſtinendo nempè,in ſuſtinendo, & operando bona,Chriſtiani hominis vita tota dirigi,& diſponi neceſſe eſt : ſi enim mentis oculos ad ea , quæ tibi continuò in hac pe. regrinatione obviam fiunt intendes , procul dubio fateberis , mundum nil aliud offerre , quam ea, quæ delectant , ut alliciat ad vetita , vel ea , quæ perturbant , ut provocet ad intolerantiam , nunquam vero ad amplectendas virtutes.Qui autem

ab

Digitized by Google

ab illicitis abſtinet, patienter ſuſtinet adverſa, & virtuosè operatur, ſolum reſtat, ut ſpe ad ſupernam Patriam tendat, & interim cum gaudio reliquum mundanæ peregrinationis iter peragat.

Jam audiſti, carnem concupiſcere adversùs ſpiritũ, ea igitur quæ caro appetit, niſi repellantur, vel moderentur, ſpiritum, qui alias præeſſe debet, oppriment, & carni ſubditum reddent, undè inordinatè cuncta procedent, & implebitur quod ſcriptum eſt, *ſi ſecundum carnem vixeritis moriemini*: Multa ſunt, quæ caro appetit omnino repellenda, quia

quia verè mala, & ideo prohibita: talia ſunt adulterium homicidium, furtum, & his ſimilia, quæ in ſe nihil boni, aut honeſti continent, ſed tamen natura depravata expetit, & in illorum amaritudine ſenſus deceptus dulcedinem reperire fatetur; ideoque Dominus noſter luce veritatis ſuę detecta fraude, quomodo fugienda ſint luculenter aperuit. Multa pariter, à quibus, ſi non omninò abſtinendum, ſaltem moderanda ſunt, ut cibus, qui tamen eſſe non debet vetitus, nec ſupra neceſſitatem: Corpus appetit ſomnum & quietem, ſed converti

Digitized by Google

verti non debet in ſoporem, & inertiam, inſuper pecunias, non ſint tamen earum ſacculi, qui veteraſcunt, potius quantum propriis, & pauperum uſibus ſuggerendæ.

Præter abſtinentiam patientia quoq; neceſſaria eſt ad reportandas promiſſiones. Dicuntur homines lutea vaſa portare, quæ faciunt invicem anguſtias, unus adverſus alterum inſurgit, aliquis tua deſiderando litigia parat, vel tibi invidendo de loco movere ſtudet, vel odio proſequendo inſidias & necem molitur. Continua eſt lucta, quæ in-

Digitized by Google

inter homines patratur, ex cauſa lucri, ſpecie honoris, ope ſimultatis: Mundus odit quæ ſua non ſunt; unde Dominus monens Diſcipulos ſuos, & in illis etiam nos omnes dixit: *propterea odit vos Mundus, quia de Mundo non eſtis*: & ad magis confirmandos adjunxit: *ſi odit vos Mundus, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit*: Quid amplius? Calumnia, ut dicitur, conturbat Sapientem, unde Sanctus Petrus Damianus, priùs à Sancto Leone IX. magna habitus æſtimatione, ob falſas malignantium relationes, viluit; & Sanctus Bernar-

Digitized by Google

nardus, propter calumniam, Innocentii II., cui tantum profuit, gratiam amiſit, & hoc inter Sanctos. Hinc patientiæ te totum committi, & ab illa muniri diligenter attende; & in praxi obſerva, ſive ſis domi cum domeſticis, ſive foris cum extraneis, in negotiis, in colloquiis, in itinere, non ſolum ab hominibus, ſed etiã à brutis, quid amplius! à rebus ipſis inanimis ſemper tibi præberi materiam contorquendi, quam non niſi ſuſtinendo vincere poſſe pro certo teneas.

Reſtat inſuper ut opereris, & non opera tenebrarum,

Digitized by Google

rum, ſed quæ recta, & ordinata ſunt. Omnia, quæ ad Dei gloriam tendunt libenter amplectere, quę Proximi tui ſaluti conferunt, cum tibi facultas ſuppetit, non derelinquas. Non tibi tantum ſic operando proderis, ſed cæteris inſuper lumen oſtendes, eoſdem incendens ad eadem peragenda, ſicut Dominus præcepit: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*: Operatio recta nomen lucis meretur, non ut gloriæ tuæ ſplendorem addat, ſed ut circumquaque degentibus pro ductu inſerviat, & gloria ſit

Deo, undè ſequitur: *& glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt*: à modo tibi per Dominum præſcripto in eleemoſyna facienda, diſce quomodo operandum in reliquis: *Cùm ergo facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, ſicut Hypocritæ faciunt in Synagocis, & vicis, ut honorificentur ab hominibus, te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi*: alias & illis, & tibi merito dicetur. *Amen dico vobis receperũt mercedẽ ſuã.*

Igi-

Igitur à quibus debes abſtinere, quæ ſuſtinere, quæque bona peragere, ſequentibus capitibus, & uſque in finem operis, ex verbis præcipuè ſancti Evangelii oſtendere curæ erit.



Digitized by Google

CAPUT VIII.

Abſtinendum primo ab ambitione præeminentiæ.

VItiorum omnium radix, & malorum proindè principiũ, ſuperbiam eſſe quis inficiabitur? E Cœlo iſta primitus Behemoth, ideſt viarum Dei principium, & cum eo tertiam ſtellarum partem detraxit: in terris pariter idem obtinere niſa eſt, nam & inter diſcipulos Chriſti: *facta eſt contentio, quis eorum videretur eſſe major*: ſed Dominus, ut illos, & nos ab ejus

ejus impia inductione defenderet, docendo dixit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper illos benefici vocantur, vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, ſit ſicut junior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator:* Quod autem verbis expreſſit, opere pariter complevit: ad id innuere ſufficiat ejus ortum in præſepio, converſationem ad inſtar miniſtratoris inter Diſcipulos, ejuſque exinanitionem, dum opprobriis ſaturatus permiſit ſe inter latrones crucifigi; quæ omnia, ut dixit Sanctus Cyprianus, ideo facta ſunt hu-

humiliter, atque patienter, ut nos humilitatis & patientiæ habeamus exemplum. Mira vero quæ Behemoth ſuperbiendo amiſit, ex ſententia Sancti Gregorii inſinuantur: *ut territo homini oſtendat, quid ipſe ſi ſuperbiat, de elationis ſuæ culpa paſſurus ſit, ſi feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloriam tantæ claritatis elevavit; conſideret ergo homo, quid elatus in terra mereatur, ſi & prælatus Angelis, Angelus in Cœlo, de Cœlo in terram proſternitur.*

A paupertate ſpiritus, & à parvitate ſenſus cordis majoritatem conſequendã

pluries Dominus noſter inculcavit dicendo: *ſi quis vult primus eſſe, erit omniũ noviſſimus, & qui ſe humiliat exaltabitur*: & parvuli ſimilitudine aſſumpta. *quicumque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in Regno Cœlorum*: Item non terrenum, & vulgare præmium humilibus promiſit; ſed Regnum, & quidem Cęleſte à Patre dandum: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum*: & tale à proprio non diſſimile: *& ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam*

ſam meam in Regno meo: Adjecit etiam humilitatis virtutem ab hominibus honorandam fore, dum dixit: *cum vocatus fueris ad nuptias, vade recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi. amice aſcende ſuperius, tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus.*

Sis igitur corde humilis, & terrenam gloriam omnino reſpue, ne dum à te ipſo captare præſumas, dum nec Redemptor noſter, pro nobis factus homo, gloriam ſibi tribuit, ſed palam profeſſus eſt: *ſi ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt,*

 eſt

eſt Pater meus, qui glorificat me: Neque te extollat generis nobilitas, aut loci conſpicui eminentia; quid enim Paradiſo jucundius, quid Cœlo ſublimius? & tamen, ut dicitur, Homo ex Paradiſo, & Angelus de Cœlo peccando cecidit. Cave præcipuè ab hypocreſi, & longè ſit à te, ſanctitatis extrinſeca ſpecie hominum plauſus captare, malum occultum, & ideo deterius, & time repetitas Domini voces: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos Viduarum lōgas orationes orantes, propter hoc amplius accipiatis judicium:*
Væ

Væ vobis hypocritæ, qui mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia: Hæc autem Scribę & Phariſæi faciendo, gloriam, & lucrum captare ſtudebant, & ideo repetit: *Væ nobis Phariſæis, qui diligitis primas Cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro.*

Sed utinam elatio, & vitia Scribarum, & Phariſæorum non tranſiſſent etiam in Chriſti ſanguine redemptos, & quod deterius, in ipſos Eccleſiæ Præſules, immemores verborum Sancti Gregorii: *nihil in Epiſcopali*

cervice ſplendidius fulget quam humilitas: Quoties Ecclesia ſancta ſciſſa eſt elatione Prælatorum? quot perierunt ambitione primæ Cathedræ? Bonifacius Francone pro illa bis occupanda, duobus Pontificibus necem intulit. Petrus Leo, ut in illa ſe violenter detineret, factus eſt prædator Templorum, nec pepercit Baſilicæ Principis Apoſtolorum, à quibus, ornamenta quæque aurea, & argentea ſacrilegè rapuit, & ſchiſmatici ejus fautores imagines Crucifixi fregerunt Hebræorum manibus. Octavianus ab Imperatore tunc protectus

ctus in ſchiſmate perſeverans, injuſtè in Conciliabulo Papienſi in ſui ſententiam traxit Præſules, factus reus illorum criminum, & Eccleſiæ detrimenti: quid vero illis profuit prætenſa regendi, & regnandi cupiditas? Primus repentè moritur, ejuſque cadaver à ſuis dilaniatur, & rapitur uſque ad ſtatuam Marci Aurelii. Reliqui duo exterius impœnitentes moriuntur, magna probabilitate damnationis utriuſque. Hos ambitionis fructus nunquam veniat in mentem colligendi, ſed potius recorderis verborum: *qui ſe exaltat humiliabitur*:

& cum Apoſtolo intimo cordis ſenſu repete : *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.*



CA-

CAPUT IX.

Abſtinendum ſecundo à divitiarum cupidine.

NOLITE *theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur: theſaurizate autē vobis theſauros in Cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur*: Si attentè conſideres quod prædictis verbis præcipitur, utique confiteri neceſſe erit, non tibi vetitum, divitias quærere, & condere, ſed decipi

in qualitate illarum, & in loco illas condendi: locus quippe aptus non eſt Terra, à qua peregrinamur, & ſolũ per tranſitum illam calcamus, aliò tendentes, & nunquam in eodem ſtatu permanentes: Neque quæ à Mundo offeruntur ſunt veræ divitiæ, quę cito pereunt, & dum poſſidentur, incendunt, non extinguunt ſitim. Veræ divitiæ ſunt in Patria Cœleſti, de qua veraciter dictum fuit: *ſatiabor cum apparuerit gloria tua*: & ubi ſecuritas ſine fine poſſidendi: undè Dominus monet: *facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non de-*

deficientem in Cœlis.

Ut melius intelligeres, mundanas divitias, & rerũ copias habendas non eſſe in pretio, dum loco ſedandi mentem, illam perturbant, & in fine divitem perdunt, dixit etiam per ſimilitudinem: *Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens, quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos:* In primis attende, quomodo in copia fructuum crevit & mentis anſietas, & dum ab ipſius ore attendebatur, ſatur ſum, auditur potius: *quid faciam, quia non habeo:* Item atten-

de quid cogitaverit: *& dixit hoc faciam, deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc corgregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea:* O inepta ſententia! dum videt Ædificia deeſſe, initium ſumit ab illorum everſione. Addit in fine: *dicam animæ meæ, anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare:* O dementia! invertitur ordo, & quæ conveniunt corpori, offert animæ. Anima non nutritur epulis ſicut corpus, undè ſapienter additur: *ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti,*

Digitized by Google

raſti, cujus erunt? ſic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives: Tu verò attentè conſidera, errorem ineſſe in tribuendo animæ, quæ ſunt corporis, & corpori quæ ſunt animæ, corpus corrumpi neceſſe eſt, & cum eo cuncta, quæ pereunt, anima immortalis eſt, & corruptilibus non paſcitur.

Non te fallat credulitas deſiſtendi à cupidine, cum dives factus fueris, nunquam audiſti? *quò plus ſunt potæ eò ſitiũtur aquæ*: unde verſus:

Deſit Avaritiæ fex, cui ſua deeſſe ſtupeſcit,
Copia nuda, ſitis ebria, plena fames:

Si

Si ergo morbiferam famem à te cupis expellere, ſis paucis contentus, & dic Domino: *divitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria*: Exaudiet profecto Dominus, ſi quod ipſe juſſit expleveris: *primum quærite Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis*: Adiicientur procul dubio etiam ſupernaturaliter, quando ſpes omnis terrena deerit, ſicut legitur toties proviſum fuiſſe multis Sanctis, quibus tamen ne credas præceptum fuiſſe, ut nihil pecuniæ reſervetur, ſed ſolum ne juſtitia deſe-

ratur

ratur ob timorem inopiæ.

Pecunias autem coacervandi vehemens affectus omnino vitandus ab illis, qui mercedem in Cœlis conſequi cupiunt à Jeſu Chriſto, cujus verba exploranda, & timenda ſunt valdè, dicit enim: *quam difficile qui pecunias habent in Regnum Dei introibunt? facilius eſt enim, Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum Dei.* Divitem intelligas, qui ſpem ſuam omnem repoſitam habet in divitiis, ac pro illis augendis ſe totum committit, & Pauperum indigentiæ non proſpicit, & uno

vera

verbo à facultatibus,& auro vincitur: Qui enim ab auro vincuntur plumbei fiunt, æſtimatione deformes, levitate flexibiles, graves pondere conſcientiæ, odibiles Deo, hominum ludibrio expoſiti, & digni conculcari ſicut ſal infatuatum: Propterea Dominus inſiſtit: *videte, & cavete ab omni avaritia,quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his, quæ poſſidet.*

Procul igitur à divitiis, & deſiderio illarum, quæ non acquiruntur ſine labore, non poſſidentur ſine timore, non amittuntur ſine dolore, & quod deterius eſt

una

una cum illis pereunt etiam acquirentes, non enim fuit ſolus Judas, qui propter avaritiam Jeſum prodidit, & perdidit. Satis ſit commemorare Burcardum Epiſcopum Halbertatenſem uſurpatorem bonorum , & jurium Monaſterii Herveldenſis, cujus Abbas morti proximus per Nuncium illum ad Tribunal Divinum provocavit, & poſt paucos dies ab Abbatis morte, Burcardus à Deo perculſus decidit ab equo,& domum reductus, confeſſus eſt, ſe rapi ad Dei Tribunal juxta intimationem ſibi factam ad reddendam rationem bonorum

rum injuſtè detentorum, dumque ad Monaſterium mitteret ad veniam impetrandam, diſruptis viſceribus infœliciter expiravit, & ejus Archipresbyter inſtigator eodem anno, ut fama fuit, à Dæmone jugulatus periit.

CAPUT X.

Abſtinendum tertio à carnis illecebris.

SANCTA & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio. Jeſus Virgo è Virgine natus adeo ab iſta virtute allicitur, ut ab Eccleſia ſua Sponſa dici velit Corona Virginum; & dum in Mundo converſatus eſt dictis, & factis ſigna ſui amoris erga integritatem expreſſit: factis, nam voluit naſcendo, & creſcendo à Virginibus tractari, converſando

do pectori ſuo ſolum Virginem adhærere, moriendo, juxta Crucem adſtare pariter Virgines, teſtando, unam alteri commendare. Dictis, nam propoſito an expediret nubere? dixit: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt; ſunt enim Eunuchi, qui de Matris utero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, qui poteſt capere capiat*: quibus verbis caſtitatem conjugalem noluit damnare, ſeu prohibere, ſed Virginitatem ſuper illam adamare pa-

Digitized by Google

patenter demonſtravit.

Vitia autem caſtitati cõtraria, quæ ſuis variis ſpeciebus humanos ſenſus diverſimodè pervertunt, uti Domino Jeſu nimis adverſa, nec ipſe ore ſuo nominare voluit, ſed omnia quatuor verbis prohibendo damnavit dum dixit, *ſint lumbi veſtri præcincti*: ut tali modo coerceret antiqui colubris virtutem, de quo poſt lapſum dicitur: *Virtus ejus in lumbis ejus, & poteſtas ejus ſuper umbilicum ventris*: Ab omni carnis libidine profecto liber eris, ſi lumbos præeinctos habueris, quod vel Virginitatem

cuſto-

cuſtodiendo, vel conjugalem fidem non rumpendo, adimplere poteris, dummodo velis: cum è contra, ſi ſenſibus cœperis laxare habenas, heû in quam vitiorum voraginem te præcipitem dabunt! Recorderis, immunditiam ab Apoſtolo Idolorum ſervitutem dici: in Idolis agnoſce Dæmonū prætenſum principatum, in ſervitute, ſubjectionem ad illorum imperium, itaut ſi te impudicitiæ ſubditum dederis, vix poteris illius catenas tot inextricabilibus nodis intextas rumpere, & tandem cum eiſdem vinculis deſcendes in ignem eundem,

Digitized by Google

dem, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.

Inſani dicunt, vitium hujuſmodi connaturale eſſe, ac propterea difficilè fugiẽdum, vel facilè condonandum. ſed ad primum. Tu qui jam didiciſti, Regnum Cœlorum vim pati, teneris fortiter reſiſtere cupiditati, vincendæ potentioribus tibi præſtitis remediis; quibus tot Sancti, qui nunc in Cœlis regnant, uſi ſunt, & carnem ſuam crucifixerunt cũ ſuis vitiis, & concupiſcentiis. Vinces profecto una cum illis, præcipuè ſi occaſiones, & maximè propinquas vitare ſtudueris: nec

ſit

ſit qui tibi robur in illis reſiſtendi promittat; neque te ipſum fallas, ſpem reponens propriis viribus, etiam recolendo, te alias in ſimilibus ſuperaſſe, quia multi poſt multas victorias devicti ſunt, & fovæ non paucę, ita ut unam, vel duas devitans, in aliam incideris, niſi uſque in finem oculatus incedas: Potius utere verbis Sacerdotis Orſini in agonia ipſa poſiti: *diſcede à me Mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle*: Minus tutum te reddat fiducia Divinæ gratiæ, quia ſupernum auxilium deerit, ſi te voluntariè in proxima occaſione po-

poſueris: Vinces pariter, ſi corpus vigiliis, & orationibus diſtenctum habueris, & ne impinguatum recalcitret, jejuniis illud emaciare curę fuerit, immundus enim ſpiritus oratione, & jejunio potiſſimè vincitur. Ad ſecundùm; indulgentiam quis promiſit? quando vitium per ſe ipſum mortale, morti ęternæ ſuos amatores damnet: Si dicas pœnitentia mediante, eò difficilius in pœnitentiæ firmo propoſito ſiſtes,. quò, ut dixiſti, illud magis eſt connaturale, & ut plurimum incentivum ſimilium actuum, ita ut ſaturitas non detur, & appetitus

remaneat etiam viribus deperditis.

Fuge igitur à facie colubris, & ne cubes in ſinu mortiferæ voluptatis, quæ corporibus, & animabus necem blandiendo infert. Averte item oculos, ne videant vanitatem; cogereris etiam fateri, fallacem gratiam, & vanam eſſe pulchritudinem, ſicut coacta fuit Zoe Auguſta, quæ ut adulterum duceret, Imperatorem virum extinxit, & venuſtas ſecundi viri, à Dæmone propterea obſeſſi, cauſa tot ſcelerum, verſa eſt in fœdiſſimam deformitatem ad nauſeam provocantem.

Digitized by Google

tem. Quod autem magis pavendum eſt, talibus vitiis anima fędata remanet, & ut plurimum ad ſupplicia correſpondentia culpæ in æternum manſura damnatur; ſicut prę aliis accidit cuidã Curato libidinoſo Territorii Pictavienſis, qui in particulari judicio coactus fuit, Religioſo adſtanti confiteri, ſe damnatum perpetuo cõburendum in parata Patella adipis ardentis, in quam ab infernalibus miniſtris jactari jam videbat, & in ſignum expreſſę veritatis, gutta illius adipis, prius in ejus manum injecta, pellem & carnem uſque ad oſſa conſum-

pſit. Non diſſimile accidit alteri, qui ob ſuam inhoneſtam vitam factus gregi execrabilis, ceſſit Epiſcopatui Leodienſi, & poſt mortem cuidam Monacho, pro ejus anima oranti, à dæmonibus ductus apparuit ſquallore, nigredine, & igne circumfuſus, & à ſcorpionibus, & buſonibus in imo ventre corroſus. Hæc audiens carnem reprime, & longè ab illius illecebris, caſtitatem totis viribus amplectendo, ſerva.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Abſtinendum quarto à calore iracundiæ.

DOMINUS Jeſus propter nimiam charitatem ſuam, quà dilexit nos tradidit ſemetipſum pro nobis, eamque virtutem quaſi unicè commendavit, dum dixit: *hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem*: hinc poteris elicere, quantum offenſio próximi Divinam Majeſtatem offendat, & propterea ut magiſter docendo propoſuit: *Aſſimilatum eſt*

Regnum Cęlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis, & cum cœpiſſet rationem ponere oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta, cum autem non haberet unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quę habebat & reddi: procidens autem ſervus ille orabat eum dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: miſertus autem Dominus ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit illi: O benignitas, ò charitas ſuperni Regis, qui rogatus, non ſolum patien-

tien-

Digitized by Google

tienter debitorem ſuſtinet, ſed oblationem quoque ab eodem factam oblitus, illũ dimittit, & debitum totum condonat. E contra ò inhumanitas ò crudelitas ſervi tanto beneficio potiti: *egreſſus invenit unum de cõſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum dicens, redde quod debes*; nec rogatus patienter ſuſtinuit, ſed miſit eum in carcerẽ donec redderet debitum. Quotidiè tu quoque divina beneficia recipis, & tibi debita dimittuntur, dimitte igitur & aliis, ne ſuper te nota, ac debita Domini indignatio pariter veniat.

Tantum autem Domino miſericordiſſimo cordi eſt, fratrem fratri parcere, ac debita condonare, ut orationi condonationem præmittēdam docuerit dicens: *cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adversùs aliquem, ut Pater veſter dimittat vobis peccata veſtra; quod ſi non dimiſeritis; nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra:* Id ſi promptè ſervaveris, jam didiciſti modum impetrandi à Deo tuorum delictorum veniam, parcendo alteri, illamque fruſtra ſperandi, ſi fratri tuo non ignoſcas. Non ſolum autem piiſ-

piiſſimus Pater nobis filiis ſuis prohibet fraterni ſanguinis fuſionem, ſed ulterius addit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehēnæ ignis:* formidoloſa ſententia, quâ perterriti filii Dei, & Jeſu Chriſti fideles ad unguem adimplere conati ſunt ejus verba: *ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum in Judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, &*

pallium, & quicumq; te angariaverit mille paſſus, vade cum illo, & alia duo: Hos imitando cura tu quoque malo non reſiſtere, ſed vincere in bono malum, paratus ea ſacere, ſi opus fuerit pro alterius ſalute.

Charitas inſuper ſuperni Regis, quæ nullis finibus concluditur, ultra proximi amorem, aliquid perſectius exquirit, & de inimicorum etiam dilectione præceptũ facit: *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*: Quæ multa in unum collecta,

cta, ut adimplere perfectè poſſis, ſingula verba expendere diligenter adſtringeris: Non enim ſolum commēdat benevolentiam erga benevolos, ſed dilectionem inimicorum, ut ſcilicet eos, qui te odio proſequuntur, qui calumnias parant, & ſanguinem tuum ſitiunt, amore, & quidem fervido proſequaris, occaſionem illos juvandi, & benefaciendi quęras, fundaſque preces pro illorum converſione, & ſalute. Omnia primo intuitu naturali ſenſui adverſantia, ſed ſi benè intelligantur, perfecta, poſſibilia, & ab eis, qui in pra-

xim deduxerunt etiam ſuavia ſentiuntur. Ad obſequendum pręcepto ſufficiat tibi fuiſſe impoſitum à Jeſu Chriſto, cui ſic ſapientiſſimè jubere placuit, & placuit etiam adimplere. Inimici ejus erant, qui mandarunt crucifigi, & crucifixerunt, de quibus ſcriptum eſt: *circumdederũt me Vituli multi, Tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut Leo rapiens, & rugiens*: & tamen dum ab illis occiditur, pro illis veniam poſtulat: *Pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciunt*: Vis ergo Patrem habere Deum, fac & tu ſimili;

militer, promiſſio ſiquidem in promptu eſt: *ut ſitis filii Patris veſtri, qui in Cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.*

Ab ira demum, & vindicatione te retrahant earumdem færales partus, qui quaſi viperini filii parturienti necem inferunt, ſicut prædixit Dominus in monitione Petri: *omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*: quotidie verba hæc adimpleri non eſt opus demonſtrare, tu ipſe aliis teſtis eſſe poteris: Immo iracundiæ quando deficit

cit inſecutor & carnifex, ipſa per ſe illorum partes adimplet, ſicut adimplevit in Valentiniano Imperatore, dum enim ab Oratoribus Barbarorum Hoſtium inſtatur pro pace, ipſe reflectendo priſtinæ rebellioni, accenſus ira, evomit ſanguinem, & ſubinde etiã animam; & quid ſimile accidit Ataloco Epiſcopo Arriano, ab ira repentè extincto. In vendicationis autem deteſtationem, ſufficiat recenſeri factum Eudoſię Auguſtę, quæ fuit cauſa mortis Maximi ſecundi ſui viri, incauti in confeſſione occiſionis primi, Genſerico ex Afri-

Digitized by Google

Africa vocato: undè Romam cum Imperio Wandalicis enſibus, ac ſe cum filiabus Barbarorum ſervituti ſubmiſit.

CAPUT XII.

Abſtinendum quinto ab immoderatione cibi, & potus.

ECCLESIA ſancta de ſuo dilecto ſponſo adhuc in cunabulis poſito, cum gaudio canit: *& lacte modico paſtus eſt, per quem nec Ales eſurit*: Hinc filios ſuos ad jejunium alliciens, pollicetur remuneratorem Deum, qui, ut ait: *Corporali jejunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & premia.* Et idem Dominus jā adultus,

tus; doctrinam ſuam mundo palam verbis, & exemplo declaraturus, initium ſumpſit à jejunio ſicut legitur: *cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit*: Inſuper in Crucis agonia poſitus, quando de ſe adimplebatur prophetia: *aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me*: dixit: *ſitio*: & tamen oblatum potum cum Propheta libavit æterno Patri, & ſic ſequitur: *& cum guſtaſſet noluit bibere*: Verbis etiam expreſſit, & quidem quando in monte

te aperiens os ſuum docebat Diſcipulos: *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini*: Igitur ſi ſaturitas, & beatitudo promittitur eſurientibns, modicum nunc grave non ſit, gulæ fręnare cupidinem, & libenter continentiæ legibus eandem ſubjicere.

Nec fundas Deo preces petendo ſolum cibum, qui perit, & opulentiam in pinguedine terræ, prout ſi darentur multorum ſupplicationes audiri, ut plurimum tales, aut parum diſſimiles noſtras implerent aures, proindeque Dominus, & illis repetere jure poſſet,

quod

quod olim turbis ſequentibus ſe dixit: *Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam:* Tu vero Angelo tuo cuſtodi, qui orationes tuas Omnipotenti defert, fac cum gaudio audire, quod jam à Domino in carne poſito, & ab itinere fatigato Angeli, & Diſcipuli ejus audierunt: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus;* ſic voluntatem Dei adimplendo, ſpiritus tuus replebitur

Digitized by Google

bitur bonis, & corpori tuo non deerunt quæ neceſſaria ſunt, non enim verba Domini præteribunt: *quærite primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Sit tibi curæ Deo adhærere, qui replet omne animal benedictione, illum quære, illo ſaturari cupias, qui dicit: *Ego ſum Panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet in æternum*: Cogita inſuper abſtinentiæ legem à Deo proceſſiſſe, prævaricationem vero legis à diabolo. Crapula & ebrietas non decent hominem ratione donatum,

natum, neç Chriſtianum, multo minus Sacerdotem, dicente Sancto Hieronymo: *An non confuſio, & ignominia eſt, Jeſum crucifixum magiſtrum pauperem, atque eſurientem farctis prædicare corporibus, jejuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre?* Unde Sanctus Tiburtius martyr, Torquatum fictum eſſe Chriſti ſectatorem, & apoſtatam ex ingluvie, & ebrietate non erroneè depræhendit, ſed veraciter prænunciavit. Cogita, vinum nec ſuo peperciſſe Auctori, Noe ſiquidem ſemel, & abſque culpa inebriatus

eſt,

eſt, prius enim ebrietatis malum non agnovit, & tamen non illi ſolum vinum nocuit, ſed & aliis, quorum oculis temulenta membra nudata ſunt; hinc primo, ut dicitur, in Orbem inducta ſervitus eſt, quę hodiè non eſſet, ſi ebrietas non fuiſſet: Inſuper & aliud deterius ſervitute ex ebrietate proceſſit, nempè inceſtus, ſicut legitur de Loth, à filiabus prius vapore vini mente obumbrato.

Sobrietas, non ſaturitas reddit homines vivaciores viribus, & potentiores in bello, ſicut videre eſt in Machabęis pueris à cibo Regio ab-

abſtinentibus, & in aliis adultis, victoriam de numeroſioribus hoſtibus reportantibus. Et Sampſoni undè robur, & virtus tanta niſi à jejunio, quò ab infantia nutritus adolevit etiam cũ illo? In bello autem Hieroſolymitano, quando Saraceni Balduino Rege jam capto, contra puſillum Chriſtianorum exercitum quadraginta millium bellatorum impulerunt, victoriam ante pugnam acclamantes, univerſale jejunium ad inſtar Ninivitarum à Chriſtianis indictum, & etiam ab Infantibus, & Jumentis adimpletum, Barbarorum au-

audaciam repreſſit, Cœleſte ſplendore ſuper hoſtes mirabiliter deſcendente, à quò fractis viribus coacti ſunt, fugam ignominioſam arripere, à pueris etiam & mulieribus occiſi, & omnino devicti.

Tandem ad vitandam ſaturitatem, & ſobrietatem amplectendã ſufficiant Redemptoris verba minitantia intemperatis: *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*: Et ſine dubio epulantes, & ebrii micam panis, & aquæ guttam cum Epulone in æternum appetent, & ſitient, nulluſque erit qui miniſtret, aut illorum

rum gemitus exaudiat. In ipſa vero abſtinentia, & jejunio, duo tibi præſcribuntur, ad hoc ut fructuoſum agnoſcas. Primum, ne per illud humanos favores expetas, dicente Domino: *cum autem jejunatis nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut pareant hominibus jejunantes, amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam:* Secundum, ne abſtinentia faciliter amplectatur Avaritia ſuadente, ſed potius quod ſubtrahitur gutturi, & voluptati, inſerviat Pauperibus pro refectione, & neceſſario adjumento.

CAPUT XIII.

Abſtinendum ſexto ab Invidiæ pravis criminibus.

AD quid ſęvi, ad quid inhumani non impellit Indivia? Vitium eſt, quod præ aliis opponitur virtuti Charitatis: nam ſi Charitas in ſe continet quidquid in homine bonitatis elucet, homo invidus accintus eſt ad omne malitiæ, & pravitatis incrementum. Charitas ſicut dicit Apoſtolus: *patiens eſt, benigna eſt*; nihil ſuffert invidia, nihil illa inhumanius: *Cha-*

Charitas non æmulatur non agit perperam: Æmulatores putat invidus quotquot torvo oculo reſpicit, pravè ſemper & perversè operatur: *Charitas non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt*: Alienæ pinguedinis livore tumeſcit invidus, licet ejus viſcera exuriant; ad omnia immeritò aſpirat, quærit quæ ſua non ſunt. Si ergo Charitas inter Virtutes primum locum tenere dicitur, tu dic, invidiam, quæ illi adverſatur, non infimum habere inter ſcelera.

Cœpit invidia ſuos crudeles fundere abortus in

Digitized by Google

primo, qui fratrem agnovit in Orbe, illa enim tumidus fraternum ſanguinem, quaſi proprium non agnoſcens, fudit in terram, & ſanguis de terra, quæ de manu ejus illum ſuſcepit, clamavit ad Dominum, & quotidiè clamat contra homicidas, uti hæredes crudelitatis Primogeniti Interfectoris, & Invidi. Nec quid diſſimile operata eſt in fratribus Joſeph, qui oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui, ſolum quod à Patre plus cunctis filiis amaretur, & ex ipſius ore quædam ſomnia audierint, quæ dum prælationem in-

Digitized by Google

innuerent, invidiæ, & odii fomitem miniſtrarunt: & niſi Ruben mitius agi contra eum ſuaſiſſet, tunica Joſeph non intincta ſanguine Hædi, ſed proprio ipſius ſanguine cruentata Patri delata fuiſſet: Non pepercerunt tamen, ſed illo Iſmaelitis vendito, Patrem filii, ſeque fratris abdicarunt longo tempore conſortio.

Quid ſævius, quid atrociùs Herodis edicto? quò innocentes, & infantes ſine dolo juſſi ſunt deleri de Terra Betheleem, & ex omnibus finibus ejus ad numerum centum quadraginta

quatuor millium, itaut vox facta ſit per Orbem, melius eſſe ſub Herodis poteſtate filium eſſe Suis, quam Hominis, ſola fama novi Regis ortus (qui tamen Rex mitis & humilis corde non eripit mortalia, ſed Regna dat Cęleſtia) cauſam illi dedit, & ſola ſtridet Invidia, cum qui natus eſt nulli faciat violentiam. Sed utinam in lege naturæ, & ſcripta fines ſuos Invidia concluſiſſet, nec in lege gratiæ quoque fixiſſet pedem, prout fixit, & quod magis dolendum, adhuc tenaciter retinet. Poſt mortem Hadriani Papæ, Nepotes illius invidiæ face incēſi, ſce-

ſceleſtiores cujuſcumq; ethnici, vel hæretici Tyranni, ſicariorum proditoriè diſpoſito auxilio, Summ. Pontificem Leonem III. in via ad ſolemnes Litanias properantem aggrediuntur, in terram proſternunt, illique veſtibus exuto, oculos eruunt, & linguam radicitus amputant: Urget amplius invidia, per terram raptant in proximum Templum Sancti Sylveſtri, ibique verberibus, vulneribuſque confoſſum, & ſanguine cruentatum ſemivivũ relinquunt ante Altare: Non quieſcit per hoc Invidia, & merito, nam quietis bonũ reperire

Digitized by Google

non meretur, qui aliena bona, ut propria damna reſpicit; interceſſione ſiquidem Sancti Petri, Leoni Pontifici reſtituuntur à Deo oculi, lingua, & integra ſalus, & à piis fidelibus etiam libertas, areſcentibus invidis præ triſtitia.

Ad quid ergo tam immane ſcelus, quod Orbem totum admiratione replevit, niſi ad invidorum perniciem, & infamiam? Proprium hujus ſceleris eſt torquere ipſos met ſceleſtos, ut bona, quæ in aliis invident nunquam aſſequantur, potius vero repleantur interno crnciatu, qui viſcera eorumdem

Digitized by Google

dem diù noctuque contorqueat. Immo erga illos munificentia Dei ampliſſima, & fęcundiſſima reſtinguitur, & ſterileſcit, prout Redemptor noſter concivibus ſuis gratiarum dona reſtrinxit, cauſam non obſcurè declarando: *utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, Medice cura te ipſum, quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hìc in Patria tua.* quaſi ex hoc innuens, fruſtra eos opem miſericordiæ Cœleſtis expectare, dum alienæ fructibus virtutis invidebant. Ex omnibus his tu diſce, non ſolum Divina beneficia in Proximo tuo

 non

Digitized by Google

non perſequi , ſed potius eidem è Cœlo majora prçcari, ſic illo, & tibi benefacies eodem actu . Et ſi charitas, ut dictum eſt, non çmulatur, in aliorum fœlicitate poteris & tu intrinſecus gaudere, item mala , quæ ex invidia procedunt vitare , & Deum beneficentiſſimum experiri .



C A-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Abſtinendum ſeptimo ab Accidiæ noxia progenie.

SI munificentiſſimus Dominus, qui dat omnibus affluenter. à ſervis ſuis munificentiam pariter expectat, & vix acquieſcit largitionibus debitis, ut dictum jam fuit; & Eccleſia ſancta à Spiritu Sãcto edocta, in ſuis Sacrificiis benedicit ſolum illis adſtantibus, qui in verbis *ite Miſſa eſt*, obtenta diſcedendi libertate, non ſtatim exeunt, ſed adhuc puſillum ſuſtinent, quan-

quantum lædatur ab illis, qui quodam operandi tædio triſtantur de ſpirituali bono, non eſt facilè demonſtrare, tibique conſiderandum relinquitur. Tales ſiquidem, ac ſi Deus non eſſet, divina bona contemnunt, alii omittentes ſpiritualia bona, ad quæ tenentur, alii ruentes in deſperationem ſalutis, vel in rancorem, in puſillanimitatem, in negligentiam, in evagationem mentis.

Ad fervorem devotionis excitandum in hominibus homo Chriſtus Jeſus ſequẽtibus ſe dixit: *ignem veni mittere in terram, & quid*

aliud

aliud volo niſi ut comburatur: Divino æſtui ne te ſubtrahas, nec illum ſegnitiei gelu reſtinguas, ſed potiùs concordi voluntate ab illo inflammari cupiens, cum cætu fidelium invoca: *veni lumen cordium, fove quod eſt frigidum*: ſic devotionis ardor non tepeſcet, ſed augebitur in dies. Sanitas reſtituta languido in Piſcina te fervidum reddat, cum enim Dominus dixiſſet, *vis ſalvus fieri*: ille cauſam tam diuturni morbi, non ſibi & inertiæ propriæ tribuendo, ſed potiùs aliis, reſpondit, *hominem non habeo*: cum tamen à ſua pigra volunta-

te,

Digitized by Google

te, & ſurgendi ad aquæ motus ſocordia, malum protractum fuiſſet, ad quod oſtendendum ſapientiſſimus medicus eidem tantum, adhuc auxilio aliorum carenti, dixit: *ſurge tolle grabatum tuum & ambula, & ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.*

Chriſto igitur adhærendo, ſicut palmes in vite, ne timeas fructum devotionis non reddere, ipſe ſiquidem dum dixit: *Ego ſum Vitis vera, & Pater meus Agricola eſt, omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert*

fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat: antecedenter monuit, à fructibus rectæ operationis non deſiſtere, ne ſuper te verificentur pariter illa verba, *tollet eum*; deinde oſtendit, quantum Patri ſuo grata futura ſint tua opera juſtitiæ, dum Agricolæ miniſterium non gravatur ſuſcipere pro illis augendis. Iſraeliticæ gentis deſertio te magis inſtruat, & ad fructuosè operandum impellat; cum enim illa quotidiè magis tepeſceret, nec ad Prophetarum, ac ipſiuſmet Domini voces quidquam proficeret, ſed ſolum in exteriori cultu, & in

Digitized by Google

in Scripturarum ſacrarum cuſtodia, ſine illarum implemento fideret, tandem audivit ab eodem Domino: *auferetur à vobis Regnum, & dabitur Genti facienti fructus ejus*; prout adimpletum fuiſſe ex omni parte, teſtis eſt Orbis univerſus.

Ad fideles item ſuos avertendos à conſimili ſocordia Dominus propoſuit ſimilitudinem dicens: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit, dixit autem ad cultores vineæ, ecce anni tres ſunt, ex quo venio*

nio quærens fructum in ſiculnea hac, & non invenio, ſuccide ergo illam, ut quid enim terram occupat? Quot anni ſunt ex quò Dominus expectat à te fructus? forſan decurrens erit ultimus, tibi ex gratia quoque conceſſus, tua Matre Eccleſia cultrice, & deprecante: *Domine dimitte illam, & hoc anno:* Ad opus igitur, nihil eorum, quæ à benigna Matre propoſita ſunt adimplenda relinquens: immo alacri animo ſuſcipe onera, & ſubiice collum jugo, præceptis Dominicis omnino parendo, libenterq; amplectendo cõſilia, non enim ſolus cogeris por-

portare jugum à duobus trahi ſolitum, ſed Domino adjuvante, qui dicit: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

Nuſquam etiam, licet ſceleſtus ab Accidia inducaris, de miſericordia Dei deſperare, imitando Caim dicentem *major eſt iniquitas mea, quam ut veniā merear,* ſive ut eſt apud Septuaginta, *quam ut dimittatur mihi*; quaſi Deum velis inclementiæ accuſare, quod ignoſcere nolit, potius confide & miſericordia Dei, tempus lugendi concedentis, utere, non enim in vanum tibi conceditur, aut fru-

Digitized by Google

ſruſtra ille ſuſtinet: Pœnitentia placatur ira Omnipotentis, qui non vult mortem Peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. Ipſemet Judas, Caiphas, & Pilatus veniam tanti facinoris obtinuiſſent, ſi deſperatione ſalutis ſibi necem miſeri non intuliſſent. Timotheus quoque peſſimus invaſor Sedis Alexandrinæ, imitando deſperatione ſalutis eundem Judam, veneno hauſto vitam temporalem amiſit, mortem æternam invenit. Horum & ſimilium deterrimus finis te cautum reddat, ut promptè, fiducialiter, & devotè ſaluti in-

incumbens, miniſterium tuum ſemper quæras adimplere.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Regenda lingua ne pravè ſed rectè loquatur.

QUAM cautè utendum ſit linguæ inſtrumento, ipſa natura docuit, dum in hominibus voluit, ultimum eſſe in vitali exercitio loquelæ, primum in illius defectu. Verum quidem eſt, linguam rectè loquentem, magna detuliſſe Mundo beneficia, ſed negari non poteſt, malè ſonantem, plura non detuliſſe detrimenta. Membrum eſt,

quo

quò Deum benedicimus, & quò maledicimus illius crea. turas: eodem poſſumus uti in ædificationem Proximi, & in ejuſdem deſtructionem: ſi verba Dei in auribus hominũ ponimus, Deũ in corde illorum gignimus, ſi autem verba blaſphemiæ, detractionis, imprecationis, mendacii, Deum ipſum à nobis extorrem, & adverſum facimus. Non mediocris igitur ſit tibi curæ linguam non ſolvere, niſi prius inſtructam meditatione, cũ de benè loquente dicatur: *os Juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium*; de loquacibus

bus autem inſipientibus: *ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant*: Multum proficiſti, ſi linguam regere didiciſti, undè Sanctus Jacobus Apoſtolus: *ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.*

Ad donandum Dominus vocem illi, qui antea locutus nunquam fuerat, ut de eo veraciter diceretur, *& loquebatur rectè*: non tam facilè, ſicut alias leproſum ſanavit dicendo: *volo, mundare*; ſed *eſpuens tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in Cœlum ingemuit, & ait illi Epheta, quod eſt adaperire, & ſtatim apertæ ſunt aures*

ejus,

eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus: Ex quo perpende, quam magnum ſit, os hominis ad rectum ſermonem aperire, ut non ſolum Redemptoris gemitus, & in Cœlum intuitus, ſed & aurium aperitio, & ſalivæ miniſterium opus fuerit, quaſi non poſſit os loqui, quæ recta ſunt, niſi prius aures apertæ fuerint ad intelligendam veritatem, lingua vero ſaliva oris Domini, ideſt Dei ſcientia edocta. Duobus aliis mutis Dominus loquelam conceſſit, de uno dicitur: *& ejecto Demonio locutus eſt mutus*: de altero: *cum ejeciſſet Demoniũ*

locu-

locutus eſt mutus: nè ſcilicet regatur lingua ab illo, qui ſolum ſolvit ad malum. Æccleſia ſancta pariter ante ſalutare lavacrum ſuis exorciſmis te munivit, & os tuum ſaliva condivit, expetens, ut in toto vitæ decurſu de hoſtibus victor, lingua tua mediteris juſtitiam Dei, tota die laudem ejus.

Cave igitur ab omni exceſſu linguæ, longè ab ore tuo maledictio, & blaſphemia, quibus ſatis ſit repleri Tartari penetralia, reſonent potius ab eo benedictio, laus, & gratiarum actio. Quid prodeſt homini blaſphemo dicere mala de Deo,

& Sanctis ejus enunciativè, aut homini maledico imprecativè, deteſtativè, ſeu deſpectivè? Sicut latratus canis non obſcurat Solem, aut Stellas, ſic impii blaſphemia Cęlum non obumbrat. Quando terra vapores atros contra Cęlum elevare præſumit, in ſui perniciem vertuntur in fulmina. Talia eſpertus eſt Percivallus Dux militum ſub poteſtate Mãfredi, qui tempore Urbani IV. minitando Altiſſimo, & blaſphemando Chriſtum, dum Statum Eccleſiaſticum invadere geſtit, in exigui fluminis aqua cum equo ſubmerſus, nec aſcenſor, aut

equus

Digitized by Google

equus amplius inventus eſt, milites vero illius interfecti multi, alii diſperſi & devicti ſunt.

Item Proximi tui famam ne lædas, & cave ab omni detractione, cujus vulnera ſemel inflicta, vix mederi, aut non ſine difficultate datum erit perfectè ſanare; ſi vero non conſolidata remaneant, contra vulnerantem clamitant, & pœnam talionis exquirunt, detrahentes ſiquidem, ut dicitur, quid faciunt, niſi in pulverem ſufflare, atque in oculos ſuos terram excitare, ut undè plus detractionis perflant, indè magis nihil veritatis

videant. Et quod magis timendum, cum detrahentes juſtè appellentur animarum homicidæ, cum juſtitia, Dei manu percutiuntur: ſicut accidit in civitate Carthaginenſi Maurano Epiſcopo Bolitano, & presbytero Mediolanenſis Eccleſię Donato origine Africano, ambo ſiquidem contra gloriam Sãcti Ambroſii jam defuncti, linguas ſuas acuentes, in fine mordacis ſermonis, malè vivendi terminum invenerunt.

Cavendum etiam ab omni mendacio, nam ex ſuo genere ſemper eſt malum, cum ſuper indebitam materiam

riam cadat, quia cum naturaliter voces ſint intellectuum ſigna, innaturale & indebitum eſt, quod quis voce ſignificet, quod non habet in mente. Gravius autem delinquitur, quando mentitur in Dei injuriam, aut damnum notabile Proximi, veraciter enim os quod mentitur occidit animam; ſicut quando additur juramentum, vel deponitur in judicio. Et in iſto ultimo caſu ſufficiat adducere exēplum notabile, de Annæ caſtiſſimæ famula mendace, quæ tempore Conſtantini Copronimi de impudicitia dominæ ſuæ, & Sancti Ste-

phani Monachi & Martyris abſque veritate teſtata eſt; tradita enim nuptui in præmium falſitatis, peperit geminos, qui noctu maternas mammas horrendè comedentes, Matrem extinxerunt, Viperinis partubus una cum eadem extinctis, verbiſque in ea Pſalmi adimpletis; *dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa, propterea Deus deſtruet te, in finem evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.*

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Non temerè de Proximo judicandum.

AD evitanda pericula judiciorum in homine, Dominus juſtiſſimus Judex ſalubrius juſſit, ab illis abſtinere, timore judicii futuri cum dixit: *nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non codemnabimini*; quando vero ſumendum eſſet judicium, formã tradidit tutiorem dicendo: *nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate*. Hebræi namque injuſtè

juſtè damnaverant Dominum, eo quod in Sabbato hominem ſanum feciſſet, undè dixit eis: *ſi circumciſionem accipit homo in Sabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi, mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in Sabbato?* Quamvis autem dubitando ex levibus, & inſufficientibus ſignis de bonitate, vel malitia alicujus, non tam gravis ſit culpa, tamen ſi pro certo malitia creditur in re notabili graviter delinquitur, quia Proximus contemnitur injuſtè, & notabiliter, & tale judicium dicitur temerarium.

Ab

Digitized by Google

Ab eo judicio tibi cavendum eſt, dicitur ſiquidem de illo, quod plerumque nihil nocet ei, de quo temerè judicatur, ei autem, qui temerè judicat, ipſa temeritas neceſſe eſt, ut noceat. Poteris id elicere à diſpari orandi modo in Templo habito per Phariſæum, & Publicanum: *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat. Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines raptores, injuſti, adulteri velut etiam hic Publicanus*: hic vero à longe ſtans nolebat nec oculos ad Cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: *Deus propitius*

tius eſto mihi peccatori: Verba Phariſæi indicantia malum judicium firmatum de Publicano, ſaltem in credulitate adulterii, tantum abeſt, quod illi nocuerint, quin ut ſequitur: *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo*: Tibi autem, ut à ſimilibus judiciis abſtineas, ſatis ſint verba Sancti Jacobi Apoſtoli: *Unus eſt legiſlator, & judex, qui poteſt perdere, & ſalvare, tu autem quis es, qui judicas Proximum?*

Sumptibus propriis hoc didicit quidam Clericus urbis Romæ, qui in Synodo tento à Benedicto VIII. in Ora-

Oratorio Sanctì Joannis Baptiſtę Eccleſię Lateranenſis, temerè judicans de Simeone Monacho Armeno peregrino inibi præſente, diùque in oratione perſeverante, illum acclamavit Hæreticū, lapidibus, vel igne perimendum, ex eo tantum, quia illo tempore in Armenia multi Hæretici Manichæi erant: ſed Deo protegente, Monachus læſus non fuit, aderat enim in Synodo Epiſcopus Armenus, qui detecta in Simeone non ſolum ſinceritate fidei, ſed vitæ quoque innocentia, Summum Pontificem certum reddidit de falſa credulitate,

Digitized by Google

undè ceſſavit tumultus: Clericus verò temerarius fuit invaſus ab immundo ſpiritu, ſed poſtea à Sancto Monacho injuriæ immemore liberatus, ipſo Summo Pontifice, ac toto Clero & Populo gratias agentibus Deo, qui ſalvavit innocentem, & accuſatorem pęnitentem reddidit.

Ex levi pariter indicio, nempè ex rubicundo colore vultus, deſpexit Totila Sanctum Caſſium Epiſcopum Narnienſem, dum tranſiret cum copiis per illam civitatem, temulentum exiſtimãs quem Natura talem effecerat, ſed ſigno Crucis à Sancto

Digitized by Google

cto Epiſcopo liberato ejus Ephebo, propterea à maligno ſpiritu divexato, Totila coactus fuit venerari, quem antea ſpreverat. Ab his, & ſimilibus diſce, non ſtatim ferre judicium in rebus dubiis, & incertis, quia non omnia probabilia ſunt pariter infallibilia, & ſenſus ipſi multoties decipiuntur: ultra quod internarum cogitationum ſolus ſcrutator eſt Deus, & ſi ab intentione opera metiuntur, quid certi poteris de internis affirmare, vel negare? Potius ſequere exemplum in bono, à Sancto Anaſtaſio Sinaita deſcriptum, cujuſdam Monachi,

nachi, qui alias in Monaſte-
rio tepidè, & negligenter
vixerat, ſed lætus morieba-
tur, cauſamque ſuæ lætitiæ,
ab adſtantibus requiſitus,
expreſſit dicendo. Hac ipſa
hora vidi in manibus Ange-
lorum folium, in quo mea
peccata deſcripta erant, &
ad illorum interrogationem
non negavi, me talia perpe-
traſſe, ſed addidi, verum
eſt etiam, quod neminem
unquam judicavi, nec de
injuriis ultus ſum, undè con-
fido in verbis Redemptoris
mei, qui dixit, *nolite judica-
re, & non judicabimini, di-
mitte, & dimittetur vobis*:
quò audito Angeli folium
diſci-

Digitized by Google

diſciderunt , undè lætus, & cum ſalutis fiducia ecce jam morior.

CAPUT XVII.

Chriſti ſequaces Crucem cum gaudio tenentur amplecti.

NE putes à vetitis abſtinendo perfeciſſe cuncta, quæ debes: Mundus odit, quæ ſua non ſunt, ac propterea tibi ſumendum eſt ſcutum, quo te ab ipſius incurſionibus, & telis defendere validè poſſis, cum enim alliciendo vincere Mundus non potuerit, perſequendo & inſectando omnem lapidem movebit, quærens tribulationi-

bus

Digitized by Google

bus, & anguſtiis ſi te poſſit à recta via deducere, quod ſuis oblationibus & blanditiis obtinere non valuit. Sed miſericordi Deo gratias redde, qui dignatus eſt tibi præbere plus quam æneum clypeum, quo tela nequiſſimi hoſtis non ſolum rejicere, ſed & in fruſta redigere facilè poteris. Audi ergo vocem Domini tui: *ſi quis vult poſt me venire abneget ſemet ipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*: Si hæc adimplere curaveris, ne formides à facie inimici tui, Crucis clypeus validiſſimus ubiquè, & ſemper te proteget: in tui abnegatione

ne propinquiorem inimicũ jam viciſti, in Domini ſequela viam ſine offendiculo pariter elegiſti, poteriſque pſallendo dicere: *Qui tribulãt me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt, ſi conſiſtant adversùs me caſtra non timebit cor meum.*

Spe gaudii futuri Dominus ad tolerantiam invitat ſuos, prænuncians eas, quas paſſuri erunt in mundo preſſuras dicens: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium; Mulier cum parit triſtitiam ha-*

Digitized by Google

habet, quia venit hora ejus, cum autem peperirit puerū, jam non meminit præſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum: Et valdè fiduciam auget, dum in virtute ſua ſuperādi pollicetur robur, ſine detrimento internę pacis ſequentibus verbis: *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite ego vici mūdum:* Ne igitur terreat te proxima tribulatio, ſtatim ad orationis pręſidium confuge, imitando Redemptorem tuum, qui proximus paſſioni prolixius oravit, & eundem ſermonem repetiit:

tiit: *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: Aut enim Dominus extẽplo liberabit ab ęrumna ſicut ſcriptum eſt: *Invoca me in die tribulationis, eruã te, & honorificabis me*: aut ſic ſibi placitum eſſe te cognoſcere faciet, & tunc cum lætitia ſequeris Redemptorem tuum, qui ſpontè procedens Diſcipulos ſuos excitavit dicens: *Surgite eamus, ecce appropinquat qui me tradet*.

Non caſu, nec fruſtra tangit homines tribulatio, ſemperque in illorum utilitatem, ſi tanquam à Deo miſ-

ſam patienter recipiatur: Aut enim peccatorem aggreditur, & ab eo pœnitentiam exquirit, nam tali pharmaco ſæpiſſimè in vitiorum ſopore demerſus excutitur, qui alias velut mortuus jacebat: Aut tangit penitentem, & ad utilius culpas confitendas, & deteſtandas impellit, prout operata eſt in Latrone feliciter cruci affixo, qui per eam ad lucem evocatus confeſſus eſt: *& nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit*: Aut deniquè juſtum, & ſi illi debita dici non poſſit, tamen non impropriè dicitur neceſſa-

ceſſaria, ut Dominus poſt reſurrectionem declaravit duobus Diſcipulis ſuis in illis verbis: *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ; nonnè hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Undè poſitus in tribulatione proferre non audeas, quid unquam mali feci, ut talia meruerim? quia juſtiſſimè, ut alter, poſſes à Redemptore tuo audire; Et ego quid? Potius recordare Vaticinii, & verborum illius: *non eſt ſervus major Domino ſuo, ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur.*

Quid


Quid mirum, ſi tali lumine ductus, & incenſus Apoſtolus in anguſtiis, in plagis, in carceribus clamabat; *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*: Agnoverat enim, & ad agnitionem veritatis hujus alios alliciendo docebat: *Modicum nunc, & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in Cœlis*: in quibus verbis diligenter attende, modico correſpondere æternum, levi opponi pondus, tribulationi ſubſequi gloriam. Ad roborandum deniquè cor tuum, nè in tribulatione trepidet, recorderis vi-

viſionis Sanctæ Perpetuæ Martyris in Mauritania, cui datum fuit videre ſcalam auream Cœlum pertingentem, à lateribus cultris, & enſibus refertam, in gradibus arctam, in cujus ingreſſu drago horribilis arcebat approximantes: vidit tamẽ Satyrum in martyrio ſocium aſcendentem, & ſe, alioſque invitantem; undè læta cum aliis timorem excuſſit. Ita fiet cunctis, qui Crucem cum gaudio ſuſcipientes, tutum tribulationis iter proſequentur: In fine ſiquidem itineris, & in ingreſſu cœleſtis Hieruſalem ad duo interrogata:

Qui

Digitized by Google

Qui ſunt iſti, & undè venerunt? ſufficiet reſponſio una: *Iſti ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.*



CAPUT XVIII.

Toleranda primo patienter deficientia vel jactura temporalium bonorum.

RERUM, & bonorum inopia, vel amiſſio eorumdē, & pecuniarum à plurimis habetur pro ſumma miſeria, quaſi non poſſit reperiri felicitas niſi in copia divitiarum, & tamen proh' quātum dedecet Chriſti fidelem talis impropria credulitas, ad cujus aures reſonant Euangelii verba: *quā diffi-*

difficilè qui pecunias habent in Regnum Dei intrabunt: undè potius in ſua egeſtate, & tolerantia ſe felicem deberet agnoſcere, velut remoto impedimento, à quo exturbari poſſit à via, quæ ducit ad Cæleſtem Patriam: divitiæ ſiquidem, & opulentia rerum temporalium cor hominis rapiunt, & avertunt à vero bono, quod eſt Deus, prout per filium ſuum unumquemque monuit. *Nemo ſervus poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odiet, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet, non poteſtis Deo ſervire &*

Mammonæ: Tu autem ulterius adverte, quod qui adhæret Mammonæ, duro utique, ac crudeli Hero inſervit, qui poſt diuturnas anguſtias, vacuum tandem ſervum dimittet, niſi melius dicendum foret, plenum iniquitate.

Pro bono hominis, & ad ſalvandum illum multoties permittit Deus dilabi rerum temporalium ſubſtantias, nè fortè inordinato illarum affectu à ſe avertatur, vel timore eaſdem amittendi juſtitiam deſerat, prout non raro, & in ipſo naſcentis Eccleſiæ fervore pariter accidit, quando

do proprio ſanguine Chriſtiani humiles, & pauperes in crudeli perſecutione mota in civitate Alexandriæ illius fundamenta jacebant, multi præmagni divites ignaviter Chriſtum negaverunt, teſte Sancto Dionyſio tunc illius Sedis Epiſcopo. Aliquando etiam permittit Deus ad melius, & utiliùs erudiendum hominem, ut oculos ſuos in theſaurum non deficientem figens, eoſdem avertat à fugitivis, & deficientibus rebus, prout legitur de patiētiſſimo Job, qui poſt diverſos, & ſucceſſivos nuncios amiſſionis omnium frugum, ſemoventium,

tium, ſtabilium, & filiorum, à manu Domini ſublata cũ-cta conſiderans, in talia verba prorupit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*: Sic debet os ſuum aperire quicumque dives cum eſſet, bonis propriis expoliatum ſe videt, & in Domino ſperans non infirmari, non enim Dominus quos amat deſerit, immo per ſuum Prophetam erigendo jacentem ſuadet: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem Juſto*.

Ori-

Oritur etiam ut plurimũ homo ſub humili tecto, & domo ſuppellectilibus vacua, & in ſua mendicitate reſpicit abundantiam in Palatiis divitum; ſi triſtari non vult, oculos potius vertat in ſpeluncam Bethelem, ubi Dominus Princeps Regum terræ dignatur naſci, ibi Præſepe, ibi pauperiem in pannis, ibi modicum lac inſpiciat: in pari paupertate poſuit illum Dominus, ut in ſimilem ducat perfectionis ſemitam; qui enim divitiis affluentes mollibus veſtiuntur, & in domibus Regum ſunt, terreno Regno inſerviunt, ſed ad valdè me-

liora vocatur qui Chriſtum ſequi deſiderat, quando ei dicitur: *ſi vis perfectus eſſe vade vende omnia quæ habes, & dà Pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni ſequere me*: Vides ergo, rejectionem bonorum, & divitiarum debere præcedere perfectionis initium: Tu vero in tua poſitus inopia, jam te vides in via, & ſine anguſtia, quam patereris in neceſſaria dimiſſione rerum tanti æſtimatarum. Natura dicitur paucis contenta, victum & veſtitum manuum tuarum labor ſufficienter præbebit, prout præbuit Apoſtolo teſtanti:

quo-

Digitized by Google

quoniam ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt miniſtraverunt manus iſtæ: In primis autem Juſtitiæ opera fac, & ſecuritatem victus elice à verbis Pſalmiſtæ: *Juvenis fui etenim ſenui, & non vidi Juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.*

Qui ſine ſollicitudine rerum temporalium ſequitur Chriſtum, & patienter ſuſtinet quæcumque ab ipſius Divina voluntate procedũt, non debet ambigere de neceſſario alimento, memoria recolens ejus verba: *Conſiderate Corvos, quia non ſeminant, neque metunt,*

quibus non eſt Cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos, quanto magis vos pluris eſtis illis: reſpicit enim miſericordiſſimus Pater filiorum ſuorum indigentiam, nec qui dat eſcam omni carni, ſinit ſuos in egeſtate perire, immo tota die miſeretur, & commodat, ſicut in loco deſerti videndo Turbarum perſeverantiam in ſui ſequela dixit: *miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent, & ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam deficient in via*: Hinc omnes verè fideles divitias cõtempſe-

pſerunt, vel enim in affluentia illarum non appoſuerunt cor ſuum, vel in deficientia, paupertatis ſuæ non ſenſerunt amaritudinem : Satis ſit ad erudiendum te paupertas Sancti Petri primi in Terris Jeſu Chriſti Vicarii, qui, ut legitur, ad explendam famem ſolis lupinis quandoque contentus fuit, & ab ore Prophetę dum audis: *Divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*: diſce timere in abundantia, in mendicitate confidere.

CAPUT XIX.

Tolerandæ ſecundo Propinquorum mortes, atque Amicorum amiſſio.

ERIPITUR frequenter mortalis è vita, qui tibi aut ſanguine, aut familiari conſuetudine conjunctiſſimus eſt; non diù repleatur cor tuum amaritudine, ſi enim naſcimur, & moriemur, & homini fideli non dicitur luge, ſed potius: *ſcribe beati Mortui, qui in Domino moriuntur*: Lugeant qui Suos in Domino mortuos non aguo-

agnoſcunt, illi quidem verè mortui vocandi ſunt, nunquam ad veram vitam revocandi, non autem fideles Catholici, quos ſi non ſtatim, citò tamen ſperandum eſt in Domini gaudium habituros ingreſſum; & unuſquiſque eorum ſuo Redemptori gratias agendo dicere poterit: *conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.*

Ad hæc Sanctus Cyprianus refert, cuidam Sacerdoti in viſione fuiſſe impoſitum, conſtanter, & continuò prędicare, ne Chriſtiani lugerent Suos à Deo vocatos ad meliorem vitam, ita Paga-

nis

nis præbentes anſam jure ſeſe carpendi, dum tanquam extinctos lugent, quos profitentur vivere apud Deum. Hinc non otiosè Dominus, tam Viduę lugenti mortem filii unici, quam Archyſinagogo Puellæ filiæ lacrymas prohibuit; quodque magis eſt, nec de propria morte lugere permiſit, dixitque mulieribus: *filiæ Hyeruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*: Si vero in tumulo Lazari legis: *& lacrymatus eſt Jeſus*: lege etiam in tertio Concil. Toletano, quod Jeſus non flevit Lazarum mortuum, ſed ad

ad vitæ hujus ploravit ærumnas reſuſcitandum.

Patienter Charorum privationem, & ſolitudinem tuam ſuſtine. Reſonent in auribus tuis veri conſolatoris non fallentis voces: *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit vivet, & omnis qui vivit, & credit in me non morietur in æternum:* Mærorem non afferat aliorum cinerum, & ſepulchri recordatio, quæ multoties mentem turbat, & cor inquietum reddit, potius recordare verbornm: *cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur:*

Nec

Nec minus propria deperdita conſolatio, vel auxiliũ, ſi enim Dominus tecum, & tua voluntas à ſua non erit aliena, nihil poterit deeſſe, & ſibi curæ erit non deſolatum relinquere: Etiam in agonia Crucis poſitus non eſt oblitus deſolationis Matris, & Diſcipuli dilecti, ſed *dixit Matri ſuæ, Mulier ecce filius tuus, deindè Diſcipulo ecce Mater tua, & ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſuam*: Sic non tibi deerit, immo illi ſoli tota dilectione conjunctus, poteris gaudenter intra te dicere, Deus meus & omnia.

Placuit Altiſſimo, in cujus

jus manu mors & vita hominum ſtat, eripere dilectum à te, & Divinæ diſpoſitioni non acquieſces? Placuit trahere ad ſe, & tollere à te filium, fratrem, Conſortem etiam in juventutis flore, nunquam legiſti, *placita erat ei Anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*? Placuit relinquere te orphanum, non audis? *nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Sin minus ſub ſpecie Patris-familias arguet te dicendo; *aut non licet mihi quod volo facere?* Acquieſce ergo, & incom-

Digitized by Google

comprehēſibili judicio Domini libentiſſimè ſubſcribe, non enim fas eſt de vita, aut morte hominis diſputare, aut curioſiùs inquirere. Inſtruat te monitio facta Apoſtolorum Principi de fine dilecti Diſcipuli interrogāti: *Hic autem quid?* audivit enim: *ſic eum volo manere donec veniam quid ad te? tu me ſequere*: In Chriſti ſequela etiam clauſis oculis incedendo non cades: quæcumque ordinata ſunt, non datur meliori ordine potuiſſe diſponi, modo in hoc ſæculo videmus per ſpeculum in enigmate, tunc & in alio ſæculo facie ad faciem,

& ſicut verè eſt.

Defunctorum recordatio non debet à memoria excidere, non autem ad dolendum, ſed potius ad orandum pro animabus illorũ, ut ſi fortè in igne Purgatorii tanquam aurum in fornace tunc expiari contigerit, tali celeri auxilio ſubleventur, repetitiſque precibus, & aliis piis ſuffragiis liberentur, ut latius dicitur in Capitulo vigeſimo ſeptimo. Hæc erunt ſigna ſinceræ benevolentiæ, & amoris, non lacrymæ elicitæ è conſolatione deperdita; vel ſi ob id retineri non poterunt, non excedant, ſicut in Sancto

Au-

Auguſtino exiguam partem horæ. Nec ſinas te à blandæ, atque morigeræ converſationis recordatione deſtitui; potius cor tuum confirmet fortitudo plus quam fœminei pectoris Melaniæ ſenioris, quæ, ut refert Sanctus Hieronymns, ſiccis oculis potuit intra circulum unius anni funus proprii Viri, & duorum filiorum intueri, & alterius tertii filii diù præſentia privari.

CA-

CAPUT XX.

Tolerandæ tertio Injuriæ, contumeliæ, calumniæ quæcumque.

QUISQUE dum vivit, non in littore, ſed in mari, aut ſaltem in ſtagno fluctibus à ventis agitatis ſe poſitum debet agnoſcere, ſi tamen in Navi ſcit Deum ſocium habere, & fide firma præſentem & vigilantem agnoſcit, non dubitet, licet Navicula operiri videatur fluctibus; alias enim Chriſtus, ut ſuos à tempe-

ſtate

Digitized by Google

ſtate redderet tutos: *dixit mari tace, & obmuteſce, & ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas magna, & ait illis, quid timidi eſtis, nec dum habetis fidem?* Non debet igitur turbari Homo, quando jactari ſe videt conſuetis hujus ſæculi contrarietatibus, injurias non timeat, contumelias, convicia, improperia patienter ſuſtineat, calumnias ſolitas quoque turbare cor Sapientum, fortiter amplectatur, procul timore rejecto, cuncta ſuperandi ſpem firmam habeat in Deo, qui potenter eripiet, ſicut dicitur: *cuſtodit Dominus animas Sancto-*

Digitized by Google

ctorum ſuorum, de manu peccatorum liberabit eos.

Si contrarii tui vexationes injuſtas poteris ſuperare blandis, & pacificis verbis, vel etiam melioribus factis, dà operam, ne tibi noceat: ſic Sanctus Gregorius Nazianzenus averſos erga ſe Arrianorum animos mitigavit, dum ſicario ab ipſis miſſo ad eum ægrotantem in lecto interficiendum, promptiſſimè indulgētiam cōfeſſi facinoris cōceſſit nil, aliud ab eodem requirens, quam ut hæreſim relinqueret. Idque forſan videtur innuere voluiſſe Dominus, quando dixit: *Quum autem vadis*

Digitized by Google

vadis cum Adverſario tuo ad Principem, in via dà operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad Judicem, & Judex tradat te Executori, & Executor mittat te in carcerem: Sin autem Malignantis perfidiam naturam blandis verbis mulcere non potueris, cura te ipſum reprimere, ſicut Sanctus Baſilius animum ſuum fortiter exacerbatum ab Epiſtola Euſtatii calumniantis ipſum, ac ſi non rectè de fide ſentiret, per trienniū integrum compreſſit, quin ſe reſpondendo defēderet, ne calamus ab iracundiæ calore cōpulſus, excederet cōtra calumniatorē.

Man-

Manſuetudo, vel præbebit Adverſantibus intellectum ſaniorem, vel fortitudo animi in perferendo tibi virtutem augebit & gloriã: non eris ſolus in Orbe, cui ſine cauſa injurias, & preſſuras ſuſtinere detur occaſio. Quot olim ab illis exerciti, fortes tamen in prælio non fuerunt devicti, ſed nunc inſectationes adſcribuntur eis ad triumphum? Sic Sanctus Gregorius Neoceſareæ in Ponto Epiſcopus, cum in ſua juventute publicè Philoſophię diſputationibus operam daret, impuræ fœminæ ab invidis immiſſæ calumniam deluſit, petitum

immundum quæſtum non negando ad defenſionem innocentiæ propriæ: ſed infelix mulier una cum pecunia & dæmonem hauſit, qui illam immaniter torquere nō deſtitit, donec Sanctus juvenis preces ad Deum funderet pro illius incolumitate. Sic Sanctus Speridion Cypri Epiſcopus Cōſtantii Regiam ingreſſus ſolito, ſed vili amictu, ab aulico ſpretus alapam non ſolum patienter ſuſtinuit, ſed alteram obtulit genam, undè Percurſor pœnitens veniam petiit, & obtinuit. Sic Sanctus Cyrillus Alexandrinus enormia, ſed falſa ſibi à Ne-

ſtorio

ſtorio objecta, & diffamata delicta conſtanter toleravit, ſolum manſuetudine curans, ſi potuiſſet illum ab impietate revocare.

Sancti ferè omnes talia paſſi ſunt, ſic edocti non ſolum doctrina, ſed & exemplo Domini, cujus veſtigia ſequi ſumma gloria & fælicitas eſt. Quis unquam in hoc Mundo vel innocentia clarior, vel beneficentia illuſtrior, quam Redemptor noſter, qui pro benefactis injurias reportavit? & juſtiſſimè potuit de ſe aſſerere: *quia odio habuerunt me gratis*: Et tamen videndo ſibi reddi mala pro bonis, cum

à Judæis quæreret cauſam: *quid me quæritis interficere?* coactus fuit audire: *dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Inſuper in paſſione audivit: *ſi non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*: Qualia opprobria non pertulit in aula Herodiana, quæ ſummatim colliguntur in illis verbis: *ſprevit autem illum Herodes cum Exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum*: in Prætorio verò: *dicebant Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas*: & poſt mortem: *Domine recordati ſumus, quia Seductor ille dixit vivens*

poſt

poſt tres dies reſurgam: In ſimilibus conſtitutus recordare prædictionis Domini: *ſi Patrem-familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus*: Recordare pariter promiſſionis: *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*.

CAPUT XXI.

Tolerandi quarto Corporis dolores, & ægritudines.

NON ſolum homo dum vivit antedictis ſubjacet ærumnis, & infortuniis, quæ quodammodo poſſunt dici exteriora, comparatione illorum, quę proprius torquēt, & cruciant, ac proinde validiori fortitudine indigent, ut etiam illis à manu Domini cum gaudio exceptis, ac tolerantia devictis, mendax reddatur Satan ubi in

Job

Digitized by Google

Job ait: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima ſua, alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi*: Hac fiducia ſæpè diabolus nititur, ut homo patiatur ægritudinem, vel afflictionem, ut ſic iraſcatur, & Deum offendat, ſed ſæpè homo per talia recognoſcit peccatum ſuum, & compungitur, & armatur contra diabolum, qui propterea ex ſententia Sancti Ambroſii: *illuditur, ut ſe ipſe morſu ſuo vulneret, & contra ſe armet, quem debilitandum putavit; nam*

Digitized by Google

verius eſt, ægritudinem carnis peccatum repellere, luxuriam vero ejuſdem culpam adolere:

Cum percuſſio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vendicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur dicit Sanctus Gregorius, tu errare non poteris ſi ſemper illam excipias ſine animi dejectione, tacitè ſiquidem à te requirit vel emendationem vitæ, vel probationem virtutis. In ipſo igitur infirmitatis initio non arteriæ pulſus, ſed à quo verè pulſeris intuere, & oculis in Cœlum verſis dic: *Miſerere mei Domine*

Digitized by Google

mine quoniā infirmus ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea: Serio incumbe ad examen eorum, quæ Divinam potuerunt provocare vindictam, & cordis contritione, & confeſſione oris cura in primis animæ vulnera ſanare, hinc & corporis languor vel deſiſtet, ſicut Sanctus Theodorus Siceota ſuadendo Bonoſo Comiti Orientis infirmo dixit: *attende ante omnia, ut corrigatur, & ſanitatem recipiat homo interior, ipſo enim curato, de facili curatur exterior*: Vel quando corporis ultima infirmitas ad mortem impelleret, mul-

tum ex hoc nihilominus lucratus es, pœnitentia ſiquidem & præterita diluiſti, & patientiam didiciſti, quà munitus tolerando mortis anguſtias, in Domino moriens, vitam invenies.

Donec vero vixeris à doloribus corporis cures, ne fortitudo animi vincatur: reſpice non quæ carnem tãgunt, ſed potius undè ictus procedant: Benigniſſimus eſt Pater, à quo corrigitur filius, & ſi rem benè perpendes, vel reperies citra condignum te corripi, vel ad tui majorem profectum talia venire. Dominus ipſe Jeſus, dum tanquam inno-

çen-

centiſſimus Agnus ad victimam trahi ſe proximè vidit, Petro iſtud quoquo modo prohibere conati dixit: *mitte gladium tuum in vaginam, calicem, quem dedit mihi Pater non bibam illum?* Ad Patrem Cæleſtem igitur recurrendum, & orandus, & pręterea utendum auxilio aliorum Proborum, & ſignanter Sacerdotum, quibus fuit à Domino impoſitum: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite, gratis accepiſtis gratis date*: Etiam hiſce temporibus poteſtatem Diſcipulis traditam, in ſacerdotes ſucceſſores tranſ-

miſſam fuiſſe non dubites. Quot infirmos Sanctus Philippus Nerius, ſydus fulgens ſub Romano cœlo, ſanitati reſtituit, ſolo ſigno Crucis, tactu manus, imperio vocis? Multum prodeſt deprecatio Juſtorum: in ſanatione Socri Simonis tu legis: *& rogaverunt illum pro ea*: in liberatione filiæ Chananeæ pariter legis: *& accedentes Diſcipuli rogabant eum*.

Si dolores non parcant, aut ægritudo protrahatur, ſcito ſic expedire, & duplici fortitudine te muniri debere in perferendo: ſtude infirmitatis ipſius tedium virtutum exercitio, ac piis operibus quan-

quantum permittitur ſuperare. Nullus forſan tam utiliter operatus eſt, & docendo, ac ſcribendo aliis profuit, quam Sancti Eccleſiæ Doctores Gregorius & Auguſtinus, & tamen de primo tu audis hæc feciſſe, infirma ſemper, & ægra valetudine, de ſecundo vero, frequenter fuiſſe obnoxium infirmitatibus, utrumque tamen nunquam de propria invaletudine conqueſtum eſſe reperies. Ad tolerantiam à Deo impetrandam utere verbis Sancti Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, qui in ultima ſua infirmitate ſpatio ſeptuaginta dierum fortiter crucia-

Digitized by Google

ciatus dicebat: *Domine dà mihi modo hìc patientiam, poſtea indulgentiam*: In ipſa dolorum acerbitate à tolerantia conſolationem educes, ſicut eduxiſſe credendum eſt Sanctam Thereſiam, ipſa namque aliter non dixiſſet: *Domine aut pati, aut mori*: & ſimiliter Sancta Maria Magdalena de Pazzis: *Domine pati, & non mori*.

CAPUT XXII.

Tolerandi quinto cruciatus & ipſa mors pro Chriſto & Juſtitia.

HORRESCIT procul dubio caro, & mens ipſa humana refugit à cruciatibus, & morte maximè violenta, ſed ſi eadem mens erudita præclarè ſit à verbis Redemptoris: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam:* timorem

rem pellet, & comparatione ſupplicii majoris, & æterni, pro nihilo habebit pœnam temporalem, immo gaudenter cum Sanctis Martyribus excipiet oblata tormenta, quæ tandem finem habent, & ſunt velut pignora, gloriæ cæleſtis, nam ut dicit Sanctus Leo Pontifex: *Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis*: comminatam vero ſupra gehennæ penam, & promiſſam deindè beatitudinem tu elice ab aliis Evangelii verbis: *qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam, qui*

autem

Digitized by Google

autem perdiderit animam ſuam propter me inveniet eam: Hinc mirari deſinas, quando in Pſalmiſta audis: *quoniam ego in flagella paratus ſum*: rationem reddit alio loco dum dicit: *Credo videre bona Domini in terra viventium*.

Tali timore pœnæ, & ſpe talis præmii omnes Sancti Martyres quanta paſſi ſint tormenta tu noſti, libeat ſolum audire, quæ ab Epiſtolis Eccleſiarum Viennæ & Lugduni in Gallia referuntur de conſtantia in perferendo Sanctæ Blandinæ, & cujuſdam diaconi nomine Sanctò: prima enim à tortori-

toribus à mane uſque ad veſperam cruciata variis ſed exquiſitis tormentis, coegit tortores ipſos fateri, ſe laſſatos & devictos ab ipſius animi fortitudine. Secundus autem non inferiori conſtantia reſtitit eiſdem bis repetitis tormentis, adeout in ſecunda illa carnificina non inflicta pœna, ſed medicina per Chriſti gratiam adhibita videretur; ab ore autem utriuſque alia verba extorquere non valuerunt, quam: *Chriſtiana ſum, & nihil apud nos admittitur ſceleris*: quam *Chriſtianus ſum*: In iſto itaque nomine gloriari poteris, tibique vires repro-

repromittere ſpe certi auxilii, ex ſententia enim Sancti Thomæ: *Martyres in tormentis participabant aliquid de gloria Dei, eſſentiam tamen Divinam non videbant.*

Licet vero hodie Tyrannis, & perfidia devicta jaceant, cor tuum nihilominus promptum ſit, & audax ad illam de novo ſurgentem debellandam, ſi enim aderit neceſſitas, aut amittendi vitam aut juſtitiam, quilibet tenetur magis dilecto Deo mori, quam illo offenſo vivere, ſunt verba Sancti Bonaventuræ, non enim agitur de tua peculiari cauſa magis, quam de communi,

pro-

Digitized by Google

proindeque cedendo, non tibi ſoli noceres, ſicut validè reſiſtendo multos confirmare poſſes: Quod Dominus noſter de ſe, & aliis Martyribus prænunciando dixit: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortũ fuerit multum fructum affert*: Utque opere confirmaret, quod de ſe dixerat, non paruit Summis Sacerdotibus, licet ſe in eum credituros exhiberent, quando dixerunt: *Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de Cruce, ut videamus, & credamus*: Hinc diſce Cruci libenter & prompto animo adhæ-

Digitized by Google

adhærere, & mortem potius amplecti, quam fœdari.

Ne autem prædicta, caſu raro contingente, ſuperfluè dicta fuiſſe credantur, ſcito te poſſe mereri etiam in morte naturali, quam effugere non poſſe pro certo tenes, licet enim mors data ſit in pœnam, Sanctis tamen fit meritoria in quantum ea benè utuntur patienter acceptando: ſi igitur ærumnas, quæ ordinariè præcedere eã ſolent, patienter ſuſtinueris, ſi obedientia aliorum voluntati te libenter ſubjicias, etiam in rebus, quas putares ægritudini non conferre, immo quandoque adverſari; ſi

de-

demum nuncium mortis nō averſis oculis ſuſcipies, in ipſamet neceſſitate, virtutum actus eliciendi, meritumque augendi patebit aditus. Cum è contra reluctando, tibi vendicares verba Sancti Cypriani: *Quam præpoſterum eſt, quamque perverſum, ut cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos, & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus, obnitimur, & reluctamur, & pervicacium more ſervorum ad conſpectum Domini cum triſtitia & mærore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo,*

culo, non obſequio voluntatis, & volumus ab eo præmiis Cœleſtibus honorari, ad quem venimus inviti.

CA-

CAPUT XXIII.

In bonis actibus operosè vivendum.

USQUE modo in abſtinentia, & tolerantia didiciſti ſubditam animę reddere carnem, quę comparatione illius non impropriè fenum appellatur: perfectæ autem & debitæ ſervituti illam adhuc non ſubjeciſti, ſi ad rationis imperium non cogas etiam rectè, & utiliter operari, dicente Propheta: *declina à malo, & fac bonum*: Operari ſiquidem proprium eſt hominis,

Digitized by Google

minis, ſed Dominus noſter diſtinguendo opera dicit: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſuis profert bonum, & malus homo de malo theſauro ſuo profert malum:* Quot autem ſunt in mundo, qui aſſiduè fatigantur, ſed ſine bono fructu? de quibus propterea rectè dici poteſt: *& defecerunt in vanitate dies eorum:* Quot laſſantur in via iniquitatis, de ſpinis ſperantes colligere uvas? quibus pariter aptantur verba: *tempus faciendi Domine diſſipaverunt legem tuam:* Tu vero in operibus tuis reſpice finem, & firmiter crede in tabernaculum Do-

Digitized by Google

mini non recipiendum niſi: *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.*

Chriſtus Dominus ad correctionem Sinagogæ, & ad inſtructionem Gentium poſuit hanc ſimilitudinem: *Homo erat Pater-familias, qui planctavit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea tortular & adifi-cavit Turrim, & locavit eam Agricolis, & peregrè profectus eſt, cum autem tempus fructum appropin-quaſſet, miſit ſervos ſuos ad Agricolas ut acciperent fru-ctus ejus:* Teſtis autem eſt Orbis totus, quos malos fru-ctus reddiderint perfidi A-

gri-

gricolæ tam ſervis, quam proprio Domini filio, ideoque adimpletum eſt, quod jam illis prænunciatum fuerat: *auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus*. Væ tibi, ſi à juſta punitione illorum edoctus, non curaveris fidelis Agricolæ partes adimplere, & debitos fructus reddere temporibus ſuis. Tibi quoque dicitur: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam ſine fundamento, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt*

in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna: Hæc cogita, ut ſapienter ędifices.

Ad id autem inſtruant te verba Sancti Gregorii: *ubi Chriſtus non eſt fundamentum, nullum boni operis eſt ſuperædificium*: ſic in cujuſcumque operationis initio mentem erige in Deum, & juxta præcepta oris ejus dirige quęcumque agenda sũt, ita ut primitus gloriam ipſius reſpicias, deinde tuam, vel Proximi utilitatem, ſemper autem animo perficiendi, ſi talis ſit voluntas in Cœlo. Quando vires proprias impares ad finem conſequen-

ſequendum agnoſcis, fidenter dic cum Apoſtolo Petro: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo rete*: fiet ſi placitum erit Deo, cujus voluntati non eſt qui poſſit reſiſtere, & cui proprium eſt ſervorum preces audire, & non denegare ea, quæ tendunt in bonum, & ordinationi ſuæ non contradicunt: immo multoties ex ſe ipſo operatur in utilitatem illorum, qui ſerio incumbunt in quærenda gloria ejus; undè idem Sanctus Gregorius dixit: *facite quod Dei eſt, & Deus faciet quod veſtrum eſt*.

Unicuique autem neceſſe eſt fructum boni operis in lucem edere, Sacerdotibus autem pluſquam cæteris dicente Domino: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrũ, qui in Cœlis eſt*: Undè caveant hi, nè ſequantur eos, qui doctrinam legis habuerunt ad elationem, non ad charitatem. Inſuper ne confidant dicentes, ſumus in honore dignitatis, tenemus Sanctorum ſedes, nonnè unquam legerunt: *non Sanctorum filii ſunt, qui tenent loca Sanctorum, ſed qui exercent opera eorum*: Ex operibus igi-

igitur bonis, & quidem non vulgaribus curent ſe ſuperiores aliis reddere, & ſecularium oculos ad ſe trahere in ædificationem illorum, non in propriam æſtimationem aut utilitatem, ſi fructus dignos reddere cupiunt in æternitate manſuros, ad hoc enim ſunt à Domino in meſſem copioſam inducti quando dixit: *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.*

Homini autem Chriſtiano cuicumque quam indecens ſit non rectè operari, exindè poteris educere, quod

Penda Rex Anglorum mediterraneorum Paganus (qui tamen Evangelium in Regno ſuo prædicari temporali ex cauſa ſinebat) odio nihilominus proſequebatur Chriſtianos illos, quorum opera non erant reciproca Fidei profeſſæ, dicens illos miſeros, & omni contemptione dignos, qui denegabant obedientiam Numini, cui fidem præſtabant. Omnes igitur dum tempus habemus operemur bonum, quia ſic convenit domeſticis Fidei, & in exteris tantum à Fide verificetur ſermo: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles*

facti

facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

CAPUT XXIV.

Orationi ſedulò vacandum.

SICUT dicitur, difficile eſt ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio, ita tu addas, malo non claudenter fine, quæ optimo innituntur initio. Igitur ad benè diſponẽdas operationes tuas quaſcumque, fac, ut à Deo principium ſuum agnoſcant & iſtud Oratione mediante, quà primum mentem ad illum cum Davide elevans dicas: *ad te levavi oculos meos qui habitas in Cœlis:* Tali

Tali poſito fundamento cõfide, non enim petitio reſpuetur, ſi puro corde, & recta intentione ad illum accedas, promiſit ſiquidem: *ſi manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis & fiet vobis*: Immo quodammodo fideles ſuos incitavit, ut ad inſtar filiorum indigentium quocumque loco, & tempore tanquam ad verum miſericordiæ Patrem ad ſe recurrant dum dixit: *ſi ergo vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter, qui in Cœlis eſt dabit bona petentibus*

bus ſe : Si vero aliquando ſtatim non exaudit, non eſt quod non audiat, differt exaudire, ut magis clames; in clamore valido, in firmiori fide, in repetita Oratione quodammodo gaudet, quod benè intelligens Cæcus ille, dum de Jerico Dominus proficiſceretur: *cœpit clamare & dicere Jeſu filii David miſerere mei, & comminabantur ei multi, ut taceret, at ille multo magis clamabat, filii David miſerere mei*: ſic iſte lumen oculorum obtinuit, & tibi modum obſecrandi demonſtravit.

Ex fidelibus autem nullus

lus orare negligat, quando determinatæ Orationi ſe adſtrictum agnoſcit, ex præcepto nempè Eccleſiæ, vel ex impoſitione Sacerdotis in pœnitentia, aut alio modo, & ulterius ſciat ab indeterminata pariter Oratione ligari eo tempore, quo tenetur ſibi procurare ſpiritualia bona, quæ non niſi per Orationem conſequi poteſt, aut quando videt ſe ipſum in gravi tentatione, & periculo animæ ſuæ, aut aliter, & tunc ſtudioſè, & devotè tam ſalubre, & neceſſarium munus curet adimplere, memor verborum S. Cypriani: *claudatur contra*

ad-

adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei in tempore Orationis adire patiatur. In Oratione ſiquidem, quæ eſt in præcepto, ex ſententia Sancti Thomæ, quando quis mentem ex propoſito diſtrahit ad alia, ſine culpa non eſt, præcipuè ſi in aliis ſpontè ſe occupat, quæ mentem diſtrahunt, ſicut exteriora opera, & ſi mens ad extranea evagetur, erit culpa mortalis, ſi autem ſine hoc, quod percipiamus, mens ad alia evagatur, vel culpa caret, vel levis erit culpa, niſi adſit negligentia, vanam cogitationem repellendi.

di. Ad Orationem quoquè, ad quam non teneris accedas cum attentè orandi intentione ab initio, ſi ea mediante cupis meritum adipiſci, aut aliquid obtinere, ſi enim prima intentio deſit, nec meritoria, nec impetrativa Oratio erit: Immo ſi cupias cum ea mentem reficere, ſcias actualem neceſſariam eſſe attentionem, dicit enim Apoſtolus: *ſi orem lingua mens mea ſine fructu eſt.*

Plus autem cæteris ad orandum fervidi ſint, qui Tabernaculo inſerviunt, & ex iis, qui præ cæteris ſunt digniores, qui, ut ait Alexan-

Digitized by Google

xander Pontifex Epiſt. II. *Tanto facilius pro neceſſitatibus, pro quibus clamant exaudiuntur*: Et agnoſcentes ad id ſe electos, & à plebe ſepoſitos, curent plebi præcedere, & alios aſſiduitate ſuperare. Idque Sanctus Hieronymus conatur eorũ mentibus figere Moyſis exemplo: *qui* (ut ait) *orat, & donec ille orat vincit Populus ejus, ſi relaxaverit, & demiſerit manus, Populus ejus vincitur, & fugatur; oret ergo & Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter, & vincat Populus, qui ſub ipſo eſt, hoſtes inviſibiles Amalechitas, qui ſunt Dæmones impugnan-*

gnantes eos, qui volunt piè vivere in Chriſto: Maximè vero aſſidua ſit Oratio, quando aliquid magni moliminis pro Dei gloria decernendum eſt, in quo ipſe Dominus formam exhibuit dum ante electionem Apoſtolorum: *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*: Vel in gravi Eccleſiæ neceſſitate, prout in vinculis Sancti Apoſtoli Petri feciſſe primos Fidei cultores legimus in Actibus Apoſtolorum: *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.*

An forſan adhuc dubitas, ſi ores cum debitis conditio-

Digitized by Google

tionibus, præces incaſſum ituras? confirment te verba Redemptoris: *propterea dico vobis omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis:* Ejuſdem voces excitent ad animosè petendum, non audis? *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis, omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur:* Eſt proxima tribulatio, tentatio urget, non audis? *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma:* Demum eſt magnum quod

quòd petitur, Naturæ vires ſuperat, non audis? *quicumque dixerit huic monti tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet:* Sanctus Oddo Abbas Cluniacenſis in Fide firmus oravit Dominum, ut ſubminiſtrarentur Monachis piſces, ne cogerentur edere carnes, Orationis vi, Vallis, in quà Monaſterium prominebat ſtringitur à vicinis ſe prodigiosè moventibus collibus, oritur aquæ rivulus, ex quo fit ſtagnum, piſces affluunt. Oratio vincit, vinces & tu ſi oraveris.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Docendum illos qui ignorant dubitant & errant.

SANCTUS Hieronymus ut dignam celebrat ſententiam Sancti Joannis Evangeliſtæ, quando à Diſcipulis interrogatus, cur toties repeteret eadem verba: *Filioli diligite alterutrum:* reſpondit: *quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat ſufficit:* Hinc tu pro certo teneas, multum lucrari poſſe, ſi Miſericordiæ opera erga Proximum tuum gratuito impendas,

quo-

quorum operum exhibitio, ut alias dictum fuit, eſt ſignum veræ dilectionis. Et quidem magna eſt promiſſio Domini Redemptoris quando dicit: *& erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos, eſtote ergo miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt*: Non parum vero injungitur tibi, quando imponitur imitari Altiſſimum, cujus miſericordiæ non eſt numerus: Verum & hoc ipſum ad miſerendum te impellat, ubi vires non ſuppetant, ſubminiſtrabit omnipotens ſimul, & mi-

miſericordiſſimus Pater, qui à te non quærit impoſſibilia, ſed perfecta.

Talium autem operum perfectiora ſunt, quæ in ſalutem Spiritus diriguntur, & inter hæc ſi ſtudueris docere ignorantem, & dubitanti conſulere, primas jam partes ſuſcepiſti: licet vero quiſque aliquo modo valeat ſalutis monita præbere, proprium autem docendi & inſtruendi munus traditum fuit Apoſtolis, & Diſcipulis Magiſtris, & ſucceſſoribus eorum, quibus à Domino dictum fuit: *Vos eſtis ſal terræ euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*

in

in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare quæcumque mādavi vobis: Super omnes autem Sacerdotum omnium Principi, cui poſt expetitam, promiſſamque dilectionem, bis repetitum fuit: *Paſce Agnos meos*: Et iterum: *Paſce Oves meas*: In lege vero Veteri, quia Reges ſacerdotum etiam officio fungebantur, David Rex munus ſuum adimplere pollicebatur Domino dicens: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*: Executioni autem demandando promiſſa, populis ſibi ſubjectis dicebat: *Venite*

filii

Digitized by Google

filii audite me, timorem Domini docebo vos: Audientibus autem ſubjungebat: *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos.*

Hinc diſcat quicumque ad id ſe addictum agnoſcit, partes ſuas diligenter explere, ne ſit ſimilis Principibus Sacerdotum, & Senioribus Judæorum, qui audientes ab Apoſtolo proditore: *peccavi tradens ſanguinem juſtum*: loco illum corrigendi, & in pœnitentiæ ſemitam dirigendi dixerunt: *quid ad nos? tu videris*; ſic ille periit miſericordia deſtitutus, & immiſericordes pariter periere

riere cum illo. Presbyteri quoquè inferioris ordinis curent adoleſcentes ſuę curę commiſſos docere quæ neceſſaria ſunt, immo & litteras miſericorditer & gratuito, ſicut jam Theodulphus Abbas Floriacenſis, poſtea Epiſcopus Aurialenſis hortatus eſt verbis Dan. 12. *Qui autem docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas hæreditates*: ſed ſi quis ad id non adſtringitur, non ideo bona directione, & conſilio privet in opportunitatibus Proximum ſuum, idque ſpe re-

tributionis in Cœlo, ſic in Concil. Toletano IX. cap. 5. dicitur: *bonæ rei dare conſilium, & præſentis habetur vitæ ſubſidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium.*

Item in corrigendo errantem ſtudium tuum impende, ſi te audierit lucratus es fratrem tuum, ſi ſecus, adhuc opus non erit vacuũ, vel enim adimplendo præceptum non defeciſti, vel miſericorditer operãdo miſericordiam pariter imploraſti tibi à Deo, qui quantum corripienti adhæreat, manifeſtum ſit ex relatione Hildebrandi poſtea Sancti Gre-

Gregorii Papæ VII. cui in viſione oſtenſum fuit, Sancto Ugoni Abbati in Capitulo admonenti, & corripienti ſuos Monachos aſſiſtere, & ſecum ſedere Redemptorem Mundi, verba etiam admonitionis illi ſubminiſtrantem: Undè nullus ſit qui negligat, errantem ad rectam viam deducere; Superior ſciat, errori non reſiſtendo illum approbare, dicitur ſiquidem: *Conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent non occurrit*: Multis vero, ſecundum ſententiam S. Auguſtini, in hac materia convenit ſuperioris nomen,

dicit enim: *huic officio (ſcilicet corripiendi & miſerendi) omnis invigilet diſciplina, ſicut cuique regenti apta, & accomodata eſt, non ſolum Epiſcopo regēti plebem ſuam, ſed etiam pauperi regenti domum ſuam, diviti regenti familiam ſuam, Marito regenti Coniugem ſuam, Patri regenti prolem ſuam, Judici regenti provinciam ſuam, Regi regenti gentem ſuam:* Alii etiam quicumq; ſciant correctionem propriè ſumptam, quæ eſt actus charitatis tendens ad fratris emendationem pertinere ad quemlibet habentem charitatem, etiam ad inferiorem

erga

Digitized by Google

erga ſuperiorem, dummodo humiliter fiat cum manſuetudine, & reverentia.

CAPUT XXVI.

Conſolandum triſtem, remittendum offendenti, oneroſos ſupportandos.

QUI viderit Proximum ſuum in tribulatione poſitũ, proindèque mærentem, & pertranſiens non compatitur, nec conſolari nititur cum poſſit, extranei, & non proximi nomen męretur, ſit ipſe Levita, ſit Sacerdos: idque Redemptor noſter per ſimilitudinem expreſſit dicens: *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem*

Digitized by Google

ſalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. Accidit autem, ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo eo præterivit, ſimiliter & Levita. Samaritanus autem quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum miſericordia motus eſt: Ex his tribus, quem verè Proximum fuiſſe illi, qui incidit in latrones, voluit Dominus te audire ab ore legiſperiti reſpondentis: *qui fecit miſericordiam in illum*: Inſuper clementiſſimus Dominus, qui allevat omnes

qui corruunt, & erigit omnes eliſos, exemplum conſolandi triſtes dedit tibi, quando audiens à ſororibus Lazari: *ecce quem amas infirmatur*: dixit Diſcipulis ſuis: *eamus in Judæam iterum*: nec illum ab officio retardarunt voces Diſcipulorum: *Rabbi nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Undè tibi forma tradita eſt, proximi & non extranei nomen retinendi, & à veſtigiis Redemptoris tui non aberrandi.

Non minus adſtringeris, offendentem non ſolum non lædere, immo libenter offenſam illi condonare, ſi Chri-

Digitized by Google

Chriſtum imitari deſideras, de quo jam per Iſajam Prophetam prænunciatum fuerat, deindè adimpletum: *tanquam Agnus innocens ad victimam ductus eſt, & coram tondente ſe non aperuit os ſuum*: Idque licet Mundus aliter ſentiat, immo illi fatuum ſonet, teſte S. Gregorio: *quid ſtultius videtur Mundo, quam rapienti non reſiſtere, percutienti alteram maxillam præbere?* De Domino etiam dictum fuerat: *ſatiabitur opprobriis*: & tamen cum malediceretur nõ maledicebat, cum pateretur non comminabatur, immo in eo adimpleta eſt Prophe-

tia, quæ dicit: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum*: Te Mundum non audire, illiuſque prava dogmata non ſequi, docuit Redemptor dum dixit: *Audiſtis quia dictum eſt oculum pro oculo, & dentem pro dente, ego autem dico vobis non reſiſtere malo*: Hæc adimplens, quid Mundus loquatur non cures, ſi te omnes dereliquerint, habebis Chriſtum ſocium, ſicut habuit Apoſtolus Paulus, quãdo ab omnibus derelictus timore crudelitatis Neronianæ, de ſe ſcribit ad Timotheum: *Dominus autem*

mihi

Digitized by Google

mihi adſtitit, & confortavit me.

Non ſine cauſa homines mali permittuntur in Mundo, Sanctus Auguſtinus ait: *omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur*: & ſi patienter malum toleres, forſan erit tibi cauſa majoris boni, quam ipſe bonus: Undè idem Sanctus Doctor ad firmandum hominem bonum in tolerantia malorum ſic illum alloquitur: *tu bonus tolera malum, nam & Chriſtus Judam cum ſciret furem eſſe toleravit, & ad prædicandum miſit, eique cum aliis Euchariſtiam*

dedit: Immo ultra tolerantiam adhibe ſtudium omne, ut illum Domino, & tibi concilies, tunc enim veræ dilectionis ſigna dabis, quando ipſius animę ſalutem non minus quam tuæ ſedulo cures: Attende ejuſdem Sancti Doctoris verbis: *debet homo diligere Proximum tanquam ſe ipſum, ut quem potuerit hominem, vel beneficentiæ conſolatione, vel informatione doctrinæ, vel diſciplinæ coercitione, adducat ad colendum Deum*: & alibi. *Mali ſunt prohibendi à malo, & cogendi ad bonum*.

Nec deſunt hodiè qui ad inſtar Scribarum, & Phariſæorum

ſæorum alligant onera varia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: Et etiam hos, qui Chriſtiano nomine gloriatur, debet patienter ſupportare, nam & Chriſtus, licet non eſſet alienus, ſed liber, immo Rex Regum, & Dominus Dominantium, injuſtè requiſitus de ſolutione didrachmatis dixit Petro: *ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore ejus, invenies ſtaterem, illum ſumens, dà eis pro me & te*: Incurva igitur humiliter humeros ſuperimpoſito oneri,

Digitized by Google

oneri, & recordare Domini tui, qui ſuſtinuit te, & veraciter de eo Propheta prædixit: *ſupra dorſum meum fabricaverũt peccatores prolongaverunt iniquitates ſuas:* Aliter malos non ſuſtinens, fruſtra te bonum reputas, ſic enim Sanctus Gregorius fideles alloquitur: *ſi ergo boni eſtis quamdiù in hac vita ſubſiſtitis, æquanimiter tolerare malos debetis, nam quiſquis malos non tolerat, ipſe ſibi per intolerantiam ſuam Teſtis eſt, quia bonus non eſt. Abel enim eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet.*

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Orandum pro Vivis & Animabus Purgatorii.

AD rationem dilectionis, quà quiſque proximos tenetnr proſequi, ſpectat orare pro aliis, ſicut pro ſe, in oratione namquè quiſque petit bonum quod deſiderat, ſicque debet non ſolum ſibi, ſed & aliis bona deſiderare, & petere ab Altiſſimo, à quo ſi fidelibus ſuis imponitur: *orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*: quanto magis pro cæte-

Digitized by Google

cæteris non perſequentibus placitum ſibi erit, Orationes in conſpectu ſuo effundi. Ipſe Redemptor paulò antè quam pateretur, exemplum orandi pro aliis reliquit, quando pro illis, quos Pater dedit ei de Mundo dixit: *Ego pro eis rogo, non pro Mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*: Quodquè magis ad amorem Domini ſimul, & Proximi debet incendere cor tuum, oravit etiam in ſpecie pro te ſubjungendo: *non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*: Igitur Domini voces

Digitized by Google

voces audi, exemplum ſequere, ora pro bono Proximi, fervidè ora, quia fervorem pariter in Proximo ſuſcitabis, prout excitavit Sancta Eliſabet Regina Hungariæ in quodam adoleſcente, qui prout petierat, illa orante pro ipſo, coactus fuit exclamare, ut ab oratione deſiſteret, tanto intolerabili ardore etiam in corpore eſtuabat, melius autem ab interiori flamma ſuccenſus, mundana pompa relicta, Religionem ingreſſus eſt.

Non minori fervore orandum eſt pro fidelibus defunctis, ut ſi aliquæ ipſorum Animæ in igne Purgatorii

ſint,

Digitized by Google

ſint, citius ab eo liberentur; multum quidem proſunt ſuffragia vivorum animabus purgantibus, quæ merendi tempus jam amiſerunt, & ſolum ab aliis auxilium exſpectant, mediantibus illorum precibus, jejuniis, eleemoſynis, & ſuper omnia Sacerdotum oblationibus. Ibi enim Divina juſtitia exigit ab eis integram ſatisfactionem omnium, de quibus in vita debitrices remanſerunt, ut dici ſolet uſque ad ultimum quadrantē, de quo ſimilitudinem habes in Evangelio ſervi illius, qui à Domino liberaliter dimiſſus, contra conſervum
ſuum

Digitized by Google

ſuum non miſericorditer creditum omne repetiit, undè: *iratus Dominus ejus tradidit eũ tortoribus quoadusque redderet universum debitum*: ibi pœna defunctorum atrox eſt, & multum excedit illam, quam ſuſtinuiſſent dum viverent, ſi condignam pœnitentiam egiſſent, neque modo talem pati cogerentur: tu autem hanc pro illis hìc ſuſtinendo, potes reddere leviorem, vel etiam ab illa omnino liberare; de atrocitate pœnæ ſic loquitur Sanctus Auguſtinus: *hic autem ignis etſi æternus non ſit, miro tamen modo gravis eſt, excellit enim*

enim omnem pœnam, quam unquam aliquis paſſus eſt in hac vita.

Si ex charitate quiſque tenetur ſuccurrere, & auxilium ferre in tali igne luentibus pœnas, quam gravi teneretur crimine, qui ſatisfacere nollet, aut negligeret, ſi ex juſtitia deberet, puta non adimplendo promiſſa, non reſtituendo juſſa reſtitui, non ſolvendo legata, & ſimilia? Cujus etiam inhumanitatis non poſſet redargui filius ſi Patrem aut Matrem, frater, ſi fratrem, vir ſi uxorem, & è contra ibi cruciari ſinerent illorum immemores, & interim car-

carnibus eorum ſaturarentur? Non ſic Sanctus Odilon, qui dum Urbem peteret à Sum. Pont. Benedicto VIII. benignè excipiebatur, audita illius morte per Epiſcopum Nuncium, qui ad requiſitionem ejus animæ in Purgatorio exiſtentis fuèrat tranſmiſſus, ſtatim ſibi & aliis indictis præcibus, eleemoſynis, & ſalutaribus Sacrificiis, meruit mediantibus illis per revelationem Monacho factam, reddi certus de illius liberatione & ſalute. Nullum eſt opus tam ſalutare, quam quod ex vera charitate procedit: igitur ab Eccleſiaſtico edoctus:

ctus: *antè obitum tuum operare juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos invenire cibum*: tunc animæ tuæ antecedenter multum proſpicies, ſi nulla dies tranſeat, quin tui precibus, & aliis piis ſuffragiis indigentes animas recrees: Sic etiam calcabis ſemitam oſtenſam à Sancto Gregorio: *tutior eſt via, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, ipſe dum vivit agat per ſe, beatiùs quippe eſt liberum exire, quam poſt vincula libertatem quærere.*

Ad ſatisfaciendum in parte ſupradictis charitatis officiis,

ciis, non ſit tibi grave addere aliis tuis conſuetis, infraſcriptas breves preces, quæ ſi non complectuntur omnes vivos, & defunctos, multis tamen prodeſſe negari non poteſt, cum magnus ſit numerus eorum, qui qualibet die naſcuntur, & moriuntur in orbe. Quotidiè igitur poſt Pſalmum, *Laudate Dominũ omnes gentes*, &c. dic: *Per interceſſionem Beatiſſimę Virginis Mariæ Matris Tuæ, & omnium Sanctorum dà obſecro Domine omnibus hodiè naſcentibus fidem, ſpem, & charitatem præſtantem. Amen.* Item poſt Pſalmum *De profun-*
Digitized by Google

fundis, &c. dic: *Per inter-ceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Tuæ, & omnium Sanctorum dà obſecro Domine omnibus hodiè morientibus requiem & gloriam ſempiternam. Amen.*

CAPUT XXVIII.

Succurrendum quibuſcumque neceſſitatibus temporalibus Proximi.

AD commiſerendum Proximo quoquo modo, etiam in temporalibus, tua ope indigenti, debet te excitare & fiducia beatitudinis promiſſæ in verbis Domini Redemptoris : *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* : & timor verborum ejuſdem in finali ſententia : *diſcedite à me maledicti in ignem æternum,*

num, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus, eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare, ſitivi & non dediſtis mihi potum, Hoſpes eram & non collegiſtis me, nudus & non operuiſtis me, infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me: Cujus damnationis cauſas, ſi attentè conſpicias, in omiſſione potius miſerendi, quam in malè operandi pravitate conſtitutas eſſe non inficiaberis: undè non abs re per Prophetam dicitur: *Beatus vir, qui miſeretur & commodat diſponet ſermones ſuos in Judicio, quia in æternum non commovebitur*: contrarium vero tenen-

tenentibus iter per Sanctum Jacobum Apoſtolum apertè denunciatur: *Judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam:* Pro bono tuo Deus à te talia requirit, & tanquam in ſe collata cognoſcit, non quod ex ſe indigentibus affluenter providere non poſſit, ſicut in poteſtate ſua eſt inobedientes diſperdere, prout per eundem Prophetam intonuit: *Dominus cuſtodit advenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet.*

Videtur exprimi miſericordiæ valor in parabola de decem Virginibus: *quæ accipien-*

cipientes lampades ſuas exierunt obviam Sponſo & Spõſæ, quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes, ſed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum, prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus: per lampades Sanctus Joannes Chryſoſtomus intelligit illud ipſum virginitatis donum, & ſanctimoniæ puritatem, per oleum vero benignitatem, eleemoſynam, impenſum indigentibus auxilium: undè licet virginitas magna res ſit, & de ea apud multos magna ſit exiſtimatio, conſiderandum

dum tamen monet, virgines quoque, ſi miſericordiæ bonis caruerint, cum fornicatoribus eiici, meritoque fatuas dici, nam ſuperato majori certamine, in faciliore totum perdiderunt. Non erit difficile diviti & abundanti de ſuperfluis partem dare inopi, & impotenti, hoc requirit Dominus cum dicit: *verumtamen quod ſupereſt date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*: Niſi magis libeat, dando ultra id quod potes, eleemoſynam tuam magnã dici, imo beatificari ut ex Concil. Gangrenſi cap. ult. *bona opera, quæ ſupra vires*

in fratres pauperes exercentur, ſecundum Eccleſiaſticas traditiones beatificamus.

Non te retrahas ab hoſpitalitate; in hoſpite autem attende non tam perſonam contemptam, quam recipis, quam ejus, qui dixit: *qui recipit vos me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me miſit*: A ſcriptoribus multis memoriæ traditum eſt, Sanctum Leonem IX. talibus verbis inſtructum, in proprio ſtrato cubare feciſſe pauperem leproſum ut mederetur, ſed ibi amplius non repertum, omnes crediderunt, Chriſtum Deum leproſi formam ſuſcepiſſe,

ut

Digitized by Google

ut à ſuo Vicario in terris tale miſericordiæ opus exigeret. Quos vero hoſpites debeas recipere, Dominus ipſe docuit quando dixit: *cum facis convivium voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in reſurrectione Juſtorum*: Receptos autem omni ſtudio, & humanitate fove, honorificè etiam tractando, ne ſi cum Carolo Magno illos humi ſedere faceres, tibi & illi verbis eiſdem Rex Saxonum paganus poſſet objicere. Si Chriſtus Deus veſtet fatetur ſe recipi in per-

ſona pauperis, quà fronte ſuadere ſtudetis, me illi collum ſubmittere, quem vos tam parvi facitis.


Ab infirmitate pariter depreſſis, & in vinculis carcerum diſtentis te abſentare non ſinas, immo ſæpè inviſendo, cura clementia quodammodo infirmari cum illis, & compatiendo eoſdem ſublevare: Multoties ſolis blandis verbis illorum mærorem in gaudium, & animi dejectionem in ſalutis etiam auxilium vertere datum erit: formam ſolandi ſimul, & curandi ſolis verbis exprimitur in facto Redemptoris erga decem viros le-

leproſos: *qui ſteterunt à longè, & levaverunt vocem dicentes, Jeſu præceptor miſerere noſtri, quos ut vidit dixit: Ite oſtendite vos ſacerdotibus, & factum eſt dum irent mundati ſunt*: Item modum inſerviendi propriis manibus infirmis poteris addiſcere, legendo Epitaphium S. Fabiolæ nobiliſſimæ viduæ à Sancto Hieronymo exaratum, in quo dicitur, ipſam auctricem fuiſſe Hoſpitalium infirmorum pauperum, quos eadem quandoque in viis & plateis jacentes propriis humeris deportandos imponebat, illorum plagas lavando, &

M 5 puri-

Digitized by Google

purificando abſtergebat, cibum ſuis ſumptibus per ſe ipſam miniſtrabat.



CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

Peccator peccare deſinat, reſiduum vitæ ad normam inſtituat Virtutis.

NE aliquis de Mundo, ſub cujus legibus uſquè modo duxit vitam, traditam vivendi normam reſpuat, ex quo ab initio non virtutum, ſed vitiorum potius ſemitam ſit ſecutus, oculos ſuos vertat ad imaginem Jeſu pendentis in Cruce, videatque latus ejus apertum, & ſciat tale vulnus recipiſſe poſt mortem, ad hoc ut con-

Digitized by Google

ſolidari, ſicut ſolet in vivis, nunquam poſſet: item per lanceam, quæ vulnere inflicto retrahitur, ut ſemper illo recluſo, peccatoribus detur acceſſus ad cor ejus æſtuans charitate ineffabili. Si peccatorem te vides, fidelem tamen agnoſcis, cave nè diffidendo Dei miſericordia, Infideli deterior fias: Audi voces Redemptoris tui: *Dico vobis, quia ita gaudium erit in Cœlo ſuper uno Peccatore pœnitentiam agente, quã ſuper nonagintanovem Juſtis, qui non indigent pœnitentia*: Obſerva pariter in filio prodigo ad cor redeunte miſerentis Patris prçventivum

tivum occurſum: *cum autem adhuc longè eſſet, vidit eum Pater ſuus, & miſericordia motus eſt, & accurrēs cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum*: de ſimili dilectione certum te reddit Propheta dum dicit: *Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.*

Sero quoque venienti poteſt Dominus, ſi placitum ſibi fuerit, mercedem plenam largiri, hoc notum fecit tibi ſub figura Patris-falias: *qui exiit primo mane conducere operarios in vi-*

neam ſuam: conventione autem facta cum operariis ex denario diurno miſit eos in vineam ſuam, & egreſſus circa horam tertiam, ſextam, & nonam fecit ſimiliter, Circa undecimam vero exiit, & invenit alios ſtantes, & dixit illis, quid ſtatis tota die ocioſi? dicunt ei, quia nemo nos conduxit, dicit illis, ite & vos in vineam meam: Omnes hi licet in tempore laboris diſpares, in mercede tamen pares ſinguli ſingulos denarios acceperunt, nec profuit primis murmur adverſus Patrem-familias: *dicentes hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos*

nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus: quandoquidem ab illo audierũt: *Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Hæc vero in iſtis circa undecimã vocatis tibi proponuntur intuenda, ſcilicet quod primæ vocationi non reluctantes paruerunt, & in illa ultima hora fecerunt multum, ut omni meliori modo redimerent tempus inutiliter amiſſum.

Undè ſurgere ne tardes, in mora peregritari poteris, non in feſtinatione; hodiè ſi vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum, ſe-

quere Zachæum Principem Publicanorum, qui ad vocem Domini: *feſtinans deſcendit, & excepit eum gaudens*: undè celeri ſua averſione à Mundo, & converſione ad Deum, meruit ab eodem audire: *quia hodiè ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ, venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat*: Peccatoribus autem in iniquitate ſua torpentibus Dominus diverſimodè dicit: *niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis*. Quod utinam non foret, ſicut in dies accidit. Reginaldus Archiepiſcopus Colo-

Colonienſis, ut Imperatori
aſſentiretur, primus ductor
in fovendo ſchiſmate con-
tra verum Pontificem Ale-
xandrum III. jam propo-
ſuerat ſibi in animo à ſchiſ-
mate recedere, ſicut ipſe-
met infirmus Amico expo-
ſuit, ſed tempus viſitationis
non agnoſcens, in executio-
ne cunctando, miſerè periit.
E contra Petrus Abailardus
prius hæreticus, poſtea Mo-
nachus Cluniacenſis in ve-
ra pœnitentia, & monachali
obſervantia uſque ad mor-
tem perſeverans, magnum
ſuæ converſionis, & probi-
tatis exemplum poſteris re-
liquit.

No-

Digitized by Google

Notum tibi eſt quod dicitur, infirmus fortior reſurgit. Sanctus Ambroſius De fide Sancti Petri ſcripſit: *fidelior factus eſt Petrus poſtquam fidem ſe perdidiſſe deflevit, atque ideo majorem gratiam reperiit, quam amiſit:* Hinc vires collige, & in ipſa pœnitentiæ amaritudine ſpera auxilium de alto. Revoca in mentem deperditæ ovis prius miſerrimam dejectionem, inventæ deindè à ſuo Paſtore fortunatam elationem, de ea ſiquidem dicitur: *cum invenerit eam imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum convocat amicos & vicinos*

di-

dicens illis, congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat: Tali ſublevatus auxilio cautius in poſterum incedes, nè iterum cadas; quin immo tutiorem, & velociorem curſum ſumes, ſicut connaturale eſt currentibus in via poſt lapſum in offendiculo, vera enim pœnitentia facit ſurgere ad opera fortiora, & ſequendo cum juſtis pientiſſimum Paſtorem, cum illis pariter dicere poteris: *in odorem curremus unguentorum tuorum, oleum effuſum nomen tuum.*

CA-

CAPUT XXX.

Quiſque frequenter penitentia non raro SS. Eucharistiæ Sacramentis animam recreet.

SICUT copus cibi dilatione langueſcit, privatione decidit, ſic Spiritus, qui Sacramentis Eccleſię nutritur, ab illis diù abſtinens, debiliter, recedens omnino voluntariè, in Dei gratia, quæ ipſius eſt vita, ſtare non poteſt. Ut igitur Divina gratia fruaris, & ſpiritali vita vivas, Sacramentali Confeſſione aſſue-

Digitized by Google

ſueſce ſæpius animæ macu-
las abluere, & Cœleſti cibo
illam non raro reficere. Ad
frequentiorem Confeſſionis
uſum excitent te verba San-
cti Ambroſii: *Confeſſio à
morte animam liberat, Con-
feſſio aperit Paradiſum, Con-
feſſio ſpem ſalvandi tribuit,
undè Scriptura dicit, dic tu
iniquitates tuas ut juſtifice-
ris*: Idemque Sanctus Do-
ctor humanam fragilitatem
etiam in ſe ipſo cognoſcens
humiliter ajebat: *quia ſem-
per pecco ſemper debeo habere
medicinam*: Hinc miſericor-
diſſimus Dominus hoc ſalu-
tare Sacramentum inſtituit,
& ut notum eſſet fidelibus
ſuis,

Digitized by Google

ſuis, ſemper & ubiquè pate-
re, ad interrogationem Pe-
tri: *quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? uſque ſepties? reſpondit: non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*: Inſuper non paucis, ſed omnibus diſcipulis ſuis dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntnr eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*.

Non ſit qui ſe tam mundum, & validum agnoſcat, ut non egeat tali ſalutari remedio, dum à Sancto Leone audit, de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere; quærat potius talis

Sa-

Digitized by Google

Sacramenti virtute, perfectæ ſanitati reddere Spiritum ſuum, ut ad virtutum opera validior inſurgat, nam ut dicit Sanctus Auguſtinus: *initium operum bonorum cõfeſſio eſt operum malorum*: Alias inutiliter operando, & in taciturnitate peccatorum, fruſtra voces ſuas pro rebus inutilibus effundendo, ſibi aſciſcet verba Prophetæ: *quoniam tacui inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die*: Inſuper ut fructuoſa ſit Confeſſio, circumeundo inter multos, non quærat Sacerdotem indoctum, & ad indulgendum procliviorem, ſed idoneum,

&

& prudentem, ut Summus Pontifex Alexander III. ſcripſit Sancto Thomę Cantuarienſi, ad ipſius conſcientiam ſedandam; ſequaturque directionem ad id traditam à Sancto Auguſtino: *quarè qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare & ſolvere, nè cum negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit, nè ambo in foveam cadant, quam ſtultus evitare noluit*: Invento autem idoneo, accedat humilitate cordis, etiam exterioribus actibus expreſſa, ſciatque Pipinum celeberrimum

Digitized by Google

rimum Ducem non erubuiſſe pedibus nudis ſuum Confeſſarium adire. Nec talem, facilè variando dimittat, multum enim prodeſt ab eodem ſemper audiri, & ejuſdem, tanquam experti, monita ſervare.

Præcipuè vero peccatorum confeſſio præmittatur, quando Sacra Menſa petenda eſt, Panis quippè cœleſtis ſumendus proponitur, in quē deſiderant Angeli proſpicere, undè Angelica puritate tali convivio adſtare, & tali eſca nutriri, quantum in ſe eſt, quiſque curare tenetur, nè in Convivio Nuptiarum inter diſcumbentes

Digitized by Google

tes Rex videat hominem non veſtitum veſte nuptiali, dicatque illi: *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* deerunt quippè verba excuſantia culpam, ſicut defuerunt illi, de quo ſequitur? *at ille obmutuit*: & infelix coactus fuit audire: *ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium*: formidoloſa ſententia! quà non vincietur, qui mente fixa retinet verba Apoſtoli: *qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans Corpus Domini*:
Hac

Hac ſentẽtia damnatus fuit Judas, de quo ſcribitur: *Ipſa enim ſalus noſtra buccellam Judæ dedit, ſtatim cum buccella non bonus, ſed malignus ſpiritus intravit, quare? non quia bonus non dedit bonum, ſed quia malus malè accepit bonum, ſicque bonum, effectum bonum non habuit, quia ubi illud faceret non invenit.*

Candore autem innocentiæ indutus gaudens & ſecurus accedat, appetenſque cibum ſpiritali dulcedine refertum, non ſinat multos tranſire dies, quin illo reficiatur, & ad magis properandum ſibi etiam intrin-

trinſecus loqui ſentiat: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Sic effugiet cenſuram Sancti Joannis Chryſoſtomi, qui graviter invehitur in illos, qui ter tantum in anni decurſu guſtando, putant ſufficienter Spiritus ſui famem explere. Sumendo Chriſtum in Chriſto manebit, & Chriſtus in eo: Sic faciliter poterit abſtinere à malis, patienter adverſa ſuſtinere, fructuosè juſtitiæ opera coacervare cum perſeverantia finali, in qua ſalus animæ innititur, dicente Domino:

Qui

BIBLIOTECA VAT. ROMA

Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Amen.

F I N I S.

Opu-

Opuſculi Auctor

JOSEPH CASAVECCHIA

FVLGINATENSIS.

Anagramma purum

OSSA CINIS HAV NIHIL ES
FVGE PECCATA,

TETRASTICHON.

Q*Uid cupidus quæris nomen, cognomen & undè*
Duxerit hic ortum verba priora legens.
Perlege quid celant hæc, notum ſic tibi quod ſis.
Oſſa ciniſque nihil crimina *ſic* fugias.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-7-A

Digitized by Google

Digitized by Google